HOCH

DE
ENNIANORUM ANNALIUM FRAGMENTIS
A P. MERULA AUCTIS.

DISSERTATIO

QUAM AD CONSEQUENDOS AB ILLUSTRI UNIVERSITATIS
FRIDERICIAE GUILELMIAE RHEN. PHILOSOPHORUM
ORDINE SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

SCRIPSIT

MATTHIAS HOCH.

BONNAE AD RHENUM,
TYPIS CAROLI GEORGII.
MDCCCXXXIX.

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO RITTERO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HANC COMMENTATIONEM

DEDICAVIT

AUCTORIS VERUS AMOR ET INTEGRA PIETAS.

PROOEMIUM.

Priusquam de consilio ac fine huius commentationis dicam, pauca de Merulae vita et scriptis, quo melius illud cognoscatur, praemonebo.

Paulus Merula natus Dordraci 5. Idus August. a. 1558. indefessum studium per totam vitam in litteris collocavit. Quanquam in primis ei cordi et curae erat iurisprudentia, nullam tamen philosophiae partem non libavit, quippe quam necessariam intelligeret cuivis homini ad interiorem iurisprudentiae cognitionem adspiranti. Quum imbutus esset iis litteris, quibus adolescentium aetas erudiri solet, cum fructu et utilitate peregrinas regiones adiit. In Galliam profectus viris doctissimis familiariter est usus. Deinde in Italiam se contulit, indeque in Germaniam superiorem profectus est. Non multo post in Angliam quoque traiecit, unde in patriam reversus consilio patris in Curia Provinciali aliquo munere functus est. Sed mortuo Iusto Lipsio a curatoribus Academiae, quae

tum Lugduni Batavorum floruit, ascitus historiarum fontes litterarum studiosis recludere coepit. Quum autem (testante Kirchmanno *de Vita et obitu Merulae*) nollet ita vitam transigere, ut veluti navis nullum sui vestigium relinqueret, sed propositum ipsi esset, rempublicam litterariam, qua parte manca videretur, pro virili iuvare, quum igitur nomen in litteris consequi vellet et in hominum luce versari, id eo potissimum assecuturum se existimavit, si ipsos uberrimos historiarum fontes indagaret quemque inde fructum percepisset publici iuris faceret. Hoc igitur statim praestare conatus est editione Annalium Ennii, cuius fragmenta maximo labore collegit, collecta composuit, composita eruditissimo commentario illustravit. Prodiit eius editio ex officina Ioannis Paetsii et Lud. Elcevirii Lugduni Batavorum a. 1595. inscripta: «Q. Ennii Poetae cum primis censendi, Annalium libb. XVIII quae apud varios Auctores superant Fragmenta: conlecta, composita, inlustrata ab Paulo Merula». De diligentia eius profecto neminem dubitaturum esse arbitror, qui expendit, Ennii reliquias ei tanquam tabulas e naufragio dissolutas ac disiectas fuisse colligendas et consarcinandas ex diversissimarum aetatum scriptoribus. Exspectatio quam haec editio de Merula excitavit dici vix potest quanta fuerit. Scripsit deinde libros de Geographia,

Historia ecclesiast., Comment. in Eutropii histor., alia. Sed munere suscepto fungi non diu ei licuit; nam a. 1607. praematura morte litteris ereptus est. Haec de Merula eiusque scriptis sufficiant; plura qui scire cupit, adeat Fabricium in Bibliotheca Latina mediae et infimae aetatis V, p. 72. Conf. Clarmund. Vitae clarissim. viror. VII, p. 91 sqq.; Niceron. Memoriae de Erudit. vitis l. XXVII, quo libro uti mihi non licuit; Kirchmann. Oratio de vita et obitu P. Merulae in Henning. Wittenii Memor. Philosoph. V.

Iam pauca de eo verba erunt facienda, quid in recensenda Merulae Annalium editione praestare in animo habuerim. Quum Ennianorum Annalium fragmenta a duobus viris doctis, a Merula et Columna [1]) eodem fere tempore diligenter collecta intellexissem, alteram autem, Merulae editionem altera multo plura fragmenta habere vidissem, operae pretium facturum me putabam, si, quoad possem, rem ipsam retractarem et, quo iure Merula Ennii Annales auxerit, investigarem [2]). Neque vero omnia Anna-

1) «Q. Ennii poetae vetustissimi fragmenta quae supersunt ab Hieron. Columna conquisita, disposita et explicata ad Ioannem Filium, Neapoli 1590»; quae editio recusa est curante Hesselio, Amstlaedami a. 1709; alterius editionis paginae a me citantur.

2) Suspicari possis, id factum esse in libro, qui inscribi-

lium fragmenta retractare et edere animus fuit, quanquam nec hoc, si quis agere velit, inconsultum et inutile futurum existimo, sed ea tantum, quae a Columna omissa Merula primus Annalibus adscripsit, et ita quidem, ut primum ea fragmenta examinarem, quae Merula primus Annalium certis, deinde quae Annalium incertis locis adnumeravit. Quum mihi haberem propositum, in citatos a Merula e magna veterum scriptorum copia locos inquirere atque, id quod ab eo omissum, accuratius, ubi legerentur, indicare, magno ea res mihi labore constitit, quum non raro unius loci investigandi causa totus liber perquirendus esset. At hic merito coniicere licet, id plurimos miraturos esse, quod ego potissimum, qui nondum eam facultatem assecutus sum, ut a me quicquam egregium exspectari possit, hoc munus susceperim. Sed ignoscent, si quo id consilio fecerim, comperient. Moverunt me verba Naekii, olim nostri, acerbo funere litteris nuper erepti, quae exstant in eius commentatione addita Indici Praelect. hibern. a. 1833. «Locum difficiliorem, inquit, in quo nihil ipse effeceris, quod tibi ab omni

tur: «Q. Ennii Annalium libb. XVIII. Fragmenta. Post Pauli Merulae curas iterum recensita, auctiora, reconcinnata, et illustrata. Opera et Studio E. S Lipsiae 1825»; sed auctor earum rerum tam parum curam habuit, ut plerumque fontes ipsos non inspexisse sed Merulam temere secutus esse videatur.

parte satisfaciat, interdum in publicum proferre iuvat, ut multorum expositus industriae Oedipum inveniat suum».

De vita Ennii, ingenio, doctrina atque scriptis singulatim disserere hoc loco supersedemus, quum id ab Henr. Columna satis copiose ac praeclare factum sit, quem supplere tantum voluimus. Qua instituti nostri ratione indicata librum nostrum iudices aequos speramus asseculurum.

De Ennianorum Annalium fragmentis a P. Merula auctis.

Quum argumenta, quibus fragmentum aliquod certo auctori aut libro adtribuatur, duplicis sint generis, externa et interna, quorum illa ex fide antiquitatis repetuntur, haec ex ipsa fragmenti sententia et forma, primum mihi fontes, quibus Merula usus est, indagandi, deinde versus singuli examinandi erant. Quo altero argumento solo uti mihi licuit in iis fragmentis diiudicandis, quae Merula debere se dicit fontibus, qui non publici iuris facti neque ab aliis inspecti solo Merula auctore innotuerunt. De fide igitur iis habenda iudicare admodum

difficile est, quod eorum nihil praeter locos a Merula citatos in promptu est; sed quid mihi videatur, certe in universum dicam necesse est.

Tribus fontibus usum se esse dicit Merula, quibus uti Columnae non licuit, Calpurnii Pisonis Continentia veterum poetarum, Glossario Fornerii, Servio Petri Danielis. Calpurnii Pisonis liber, ut cum eo exordiar, dubiae mihi auctoritatis videtur, et cur mihi videatur has affero causas. De huius Calpurnii Pisonis aut Merulae ab eo edocti fide ut dubitari possit, primum, ni fallor, fecit auctoritas viri acutissimi, Godofr. Hermanni, cuius haec sunt in Element. doctr. metr. p. 628: «Idem Paulus Merula p. 253. ex L. Calpurnii Pisonis libris de continentia veterum poetarum haec profert: *non male Livius Andronicus in Odyssea: ah vestros, vestros, dum hic mantatis, irruet nervos perduelles*, pro *nervos* scribens *moeros*. At huiusmodi sententia nusquam in Odyssea invenitur. Si fides illi Calpurnio, sive, quo solo auctore innotuit, Paullo Merulae, mira praesagitione de eo scribenti in praefatione P. 16. *haec eius continentia* (*vox illa* συνέχεια *Graecis*) *Parisiis* (*ubi esse indicarat mihi olim N. V. Wolfgangus Zindelinus, quo Germanorum Principum nomine Venetiis agente familiariter sum usus*) *servatur in Bibliotheca S. Victoris, utinam religiosius: timeo enim*

illi a plagio; novi quorundam Criticorum mores. Coniuncta erat cum Lucano M. S. cui suae ad marginem adiectae notae, rei non magnae: factum esse enim, quod metuere hic se dicit, testatur Laur. Santenius in margine exempli, quod possideo, his verbis: *Calpurnius nunc ex Lucani codice avulsus et sublatus est:* igitur si fides est Calpurnio» cet. Idem quod Santenius affirmat Casp. Barthius (Ep. ad Chr. Daunium in Miscell. Lips. Nov. Tom. VIII, p. 363). V. Planck. Praef. ad edit. Ennii Med. p. 5; alius locus Hermanni de Merula exstat in Elem. p. 632, ubi haec leguntur: «aliud libri tertii (Annalium Naevii) fragmentum idem (Merula) p. 417. ex Calpurnio affert, sed ut vix possit fraudis suspicionem effugere». Haec suspicio de Calpurnii Pisonis Continentia ab Hermanno mihi iniecta valde aucta est eo, quod nonnulla Ennii Annalibus tribuit fragmenta, quae Ennii esse non facile adducor ut credam. Vid. ad fragm. 1. 29. 64. Maximum scrupulum mihi iniecit, quod nec de Calpurnio hoc nec de eius Continentia quidquam legimus in antiquitatis monumentis; et profecto minus probabile est, tale opus omnino notum non fuisse. Nec Merula ipse de tempore, quo hic Calpurnius vixerit eiusque vitae conditione certi quidquam attulit. Nam, quod in Praefatione p. 15. eum sub Traiano vixisse et Coaetaneum C. Plinio Se-

cundo fuisse putat, non ita certum videtur. Plinii Epist. V, 17, quo loco Calpurnius Piso librum recitasse dicitur, ad probandam Merulae sententiam nihil facit. Ibi Plinius Calpurnii Pisonis opus de amoribus (Ἐρωτοπαίγνιον, nam ea lectio praeferenda est, v. Longol. ad l. c.) in auditorio frequenti recitatum singulari laude commendat apud Spurinnam utraque linguá eruditum. Longolius (ad locum Plinii laudatum) cogitandum esse de C. Calpurnio Pisone, cuius Tacitus Annal. XV, 48. mentionem facit, videtur perperam iudicasse. Huic enim sententiae temporis ratio obstat. Atque quis fuerit Calpurnius ille a Plinio laudatus non constat, et si constaret, eum fuisse nepotem illius Calpurnii Pisonis, consulis a. p. U. c. 811, certe inde nihil probabilitatis Merulae sententiae accederet. Scio quidem, Merulam Plinii loco non usum esse ut argumento, sed, eum si demis, nulla omnino re quod attulit vir doctissimus probavit; si vero id argumenti loco ponis, facile est intellectu, quomodo res aliqua se habere possit, ita eam se habere haud sequi. Quae quum ita essent, animus in eam inclinabat sententiam, esse hanc Calpurnii Pisonis Continentiam similem illi Expositioni sermonum antiquorum Fabii Fulgentii Planciadis, qui liberalius quam verius auctoribus Latinis multa tribuit, quae quidem omnia ab impostore medii aevi con-

ficta viri docti suspicati sunt [1]). Sed re diligentius considerata eo adductus sum, ut de ipso Calpurnio Pisone et de eius Continentia num unquam exstiterit dubitarem. Illud in primis me offendit, quod excepto Merula qui hanc Calpurnii Pisonis Continentiam aut inspexerit aut servari eam Parisiis noverit profecto neminem invenimus. Ne quis in errorem ducatur verbis Fabricii, qui in Biblioth. Lat. I, 317 sqq. ed. Ern. Merulae fidem habens videtur significare, Calpurnii Pisonis Continentia usum esse etiam Ianum Dousam, moneo hoc loco, huic Dousae illam Continentiam non nisi referente Merula innotuisse. V. Ian. Dous. ad Lucilii fragmenta p. 106. Deinde fraudis suspicionem mihi iniecit, quod Calpurnius tot integros Ennii versus affert, quos aliunde non habemus, eosque indicato certo libro. Nec vero solius Ennii sed aliorum quoque poetarum fragmenta auxit. Iam si statuimus, quod credere par est, Calpurnium multa quoque fragmenta veterum poetarum servasse, quae aliunde habemus, tantus profecto in illa Continentia fragmentorum numerus exstitit, quantum capere potuisse eiusmodi Continentiae fines vix videantur. Et quomodo potuit Merula, qui triduum tantum eius lectioni impendit (vid. eius Praefat.

1) Vid. Madvig.: Opuscula Academ. pag. 28.

p. 16), tot fragmenta enotare veterum poetarum, quae in Henrici Stephani editione non exstabant. An statim ei in promptu erat, qui versus a Calpurnio servati apud Stephanum desiderarentur? Consideranti mihi haec omnia, quibus addi alia possunt, de illo Merulae Calpurnio Pisone dubitatio orta est, quae fraudis suspicio mea mira et temeraria videri non potest ei, qui cogitet, tale quid Merulae temporibus nec inauditum fuisse — nam quis nescit, illis temporibus multa commenta pro veterum operibus prolata esse? — et habere quo explicari possit. Merulam enim, qui doctrina insigni excellens diligentissime Ennianorum Annalium fragmenta collegerat, quum a Columna eorundem fragmentorum collectionem institutam intelligeret, verisimile est magnum inde animi dolorem concepisse omnemque laboris suae fructum sibi esse ereptum existimasse, nisi fragmentorum numerum aliquanto auctius ediderit. Quae modo de Calpurnii Pisonis Continentia paucis verbis complexus sum, quanquam hunc librum nunquam exstitisse non probant eo modo, ut nihil dubitationis relinquatur — quod facere me iudice difficillimum erit, quamdiu non aliorum virorum, qui Merulae temporibus vixerunt, de hac re testimonia cognoveris —, tamen efficere videntur, ut de fide hac in re Merulae habenda non immerito dubitare

possis; quo ipso facto operam nostram non omnino inutilem fuisse putamus, praesertim quum spes sit, incepti nostri exemplo virorum doctorum studia in eandem rem indagandam actum iri, quorum aliquis ut certiora proferat, vehementer optamus.

Iam sequitur, ut de Glossario Fornerii, quo usum esse Merula se dicit, pauca dicamus. Ipsius Merulae de eo verba haec sunt p. 165: «Usus sum aliquando ab V. Cl. Gulielmo Fornerio I. C. Glossario, praeter Graecum, Latino; quod, alterum alteri adpactum, emerat ille anno 1584. a quodam Arverno, Iuris studioso, qui secretiorum litterarum haud erat curiosus. In hoc Graeca, in illo Latina interpretatio erat adiecta, notae satis probae, adscriptis ad rariores voces Auctoribus, quibus eae in deliciis. Promiserat utrumque se, melioribus animis, luce donaturum: sed tale meditantem, imo agentem, mors nimis immatura praevenit». Fragmenta, quae ut Enniana ex hoc Glossario Merula attulit, num re vera Ennio tribuenda sint, equidem dubitandum statuo; et ut hoc statuam, haec potissimum mihi suadent. Primum hunc librum unquam exstitisse nec Merula demonstravit nec aliunde probatum est; et mirum profecto videri debet, quod a nemine eum visum legimus. Deinde si fidem habemus Merulae, etiam hoc posito atque con-

cesso, illud quaeritur, quaenam eius fuerit auctoritas, et quo tempore confectus sit. Nisi enim ante exitum saeculi post Christum quinti confectus est, ei ex Annalium certis libris locos citanti auctoritatem tribuere vix poterimus. Nam post quintum saeculum Ennii Annales integros exstitisse nullo testimonio perhibetur. Quae Merula ex hoc Glossario attulit, tam pauca sunt, ut inde de eius auctoritate iudicium aliquo modo certum fieri non possit. Unum tantum, quod suspicionem de eius auctoritate mihi excitavit, hoc loco commemorabo, plerumque totos versus eosque, ubi alioquin cuius sint loci non constet, addito auctoris nomine et libro a Merula ex eo afferri. Quae singula in fragmentis a Merula ex eo citatis mihi displiceant, suis locis indicabo.

Restat ut de Servio P. Danielis, de quo certiora afferre possumus, dicamus [2]. Servium tempore imperatoris Theodosii Commentarium in Virgilium scripsisse, et a Macrobio ut aevi sui litteratorum doctissimum induci constat. Sed multa Servii Commentario ab aliis serius addita esse, non negabit, qui aliquam familiaritatem cum eo contraxerit, nec Servium suo tempore tam amplum in Virgilium Commentarium scripsisse, ut nunc habetur, probabile est.

---

2) V. Burmanni Praefat. ad edition. Virgil.

Si, quae Servii Commentario ab aliis addita leguntur, fragmentum Ennii continent, nihil impedit, quominus hoc Ennio tribuamus; nam quae non nisi in uno alterove codice insunt, quanquam num Servii sint dubitari potest, tamen non ut aliena improbanda sed veteris cuiusdam interpretis testimonia existimanda sunt. De Servii codicibus et editionibus antiquis dicere nostri non est instituti; id tantum afferam, quod nobis hoc loco sufficiat, egregiam et optimam editionem esse illam priorem Petri Danielis, qui e codice Fuldensi locupletatum Servium edidit Paris. a. 1600. Copiosiorem multo Servium, quam qui impressus circumferatur, vidisse et inspexisse se apud ipsum Petr. Danielem testatur Merula p. 100 sq. Sed Servium, quo Merula usus est, *multo* copiosiorem hoc nostro fuisse, mihi persuadere non potui. Nam Servio Burmanni et Lionis diligenter perlecto excepto uno (fr. 16) omnia fragmenta, quae Merula e Servio attulit, inveni. Quod unum quoque fortasse inveniet in editione Lionis, qui accuratius eam perlustrare volet. Itaque non a vero aberrare mihi videor, si illum Merulae Servium haud plane alium fuisse hoc nostro, quo usus est Burmannus et Lion, statuam.

His tribus potissimum fontibus usus Merula Ennianorum Annalium editionem copiosiorem, quam priores editores instituit. Praeterea non-

nulla quoque Annalium fragmenta, quae apud Columnam non exstant, aliunde habet, quod suis locis indicabimus.

Iam rem ipsam aggrediamur et ita quidem ut primum, quae a Merula primo Annalium certis libris ac dein, quae ab eodem primo Annalibus adscripta sunt fragmenta singula percenseamus.

CAPUT I.

Fragmenta a Merula Annalium certo loco primum adscripta.

Primus versus, quo Ennium Merula locupletavit, hic est:

1. *Horrida Romuleûm certamina pango duellûm.*

Eum esse Ennii et initio Annalium collocandum Calpurnium Pisonem in libro de Continentia veterum poetarum testari dicit Merula (vid. edit. Mer. Lib. I, p. 1. 41 sqq.). De Calpurnio Pisone eiusque Continentia quid nobis videatur supra p. 6 sqq. diximus; ipsum hunc versum Ennio abiudicandum existimamus idque duas potissimum ob causas. Versum non esse Ennii in primis neglecta metri ratio docet, dico correptum illud verbi *pango* o finale. Nam poetas veteres Latinos omnia verba, quae littera o finiantur, producta extrema syllaba pro-

tulisse tradunt Charisius apud Putsch. p. 5 sq., Diomedes, ibid. p. 430, Mar. Victorinus, ibid. p. 2472; eamque legem constanter servasse veteres poetas videmus (v. Ennii Annal. apud Merulam p. 15, 25; 16, 11. 20; 20, 6; 22, 2; 24, 5; 25, 6; 26, 31; 30, 31). Correptum est Latinorum verborum o finale a poetis primum in perpaucis verbis (*scio*, *nescio*, *volo*), quae ipsa in sermone communi prae ceteris usu frequentata et propter pronuntiationis celeritatem corripi erant coepta. At vero, quod initium duxerat a paucis verbis, illud iam Augusti aetate sensim propagatum et postea in omnibus fere verbis factum est. Mutatam illam pedestris orationis consuetudinem primum omnium e poetis Comici secuti sunt, communis vitae tam pronuntiationem quam verba exprimere studentes, deinde alii quoque poetae in carminibus propius ad communem accedentibus sermonem. Haec et alia huc pertinentia v. apud Lennep. ad Ovid. Heroid. XV, 32. Haec igitur cur versum illum Ennio abiudicandum existimem una causa est, altera, quae eadem gravis mihi videtur, haec est, quod Ennium Annales a versu, qui apud Merulam nonus est, incepisse admodum probabile est. Hunc versum exhibet Merula sic scriptum:

adeste
Musai, quai pedibus magnum polsatis Olum-
pum [1]).

Idque non recte, quod statim monebo. Nam exstat idem versus apud Varronem de Lingua Latina lib. VI, p. 69, 19. (edit. Scalig.) integer sed omissa voce *adeste*. Eundem versum servavit Servius ad Virgil. Aen. XI, 660, ubi legitur: «Ennius ad Musas quae pedibus magnum pulsatis Olympum». Quae verba Merula dextre disposuit et temere mutavit, scribens illud: *adeste* cet. Nam scribendum esse: *Ennius ad Musas, quae pedibus magnum pulsatis Olympum*, vix est quod moneam. Conf. Servii loc. c. apud Burm. et Lion. Haec igitur Servii verba Merula ita mutavit, vix ut quenquam effugere suspicio possit, mutationis causam fuisse, ne quis ab hoc versu Ennium initium fecisse Annalium putaret. Sed hunc versum Annalium initio collocandum equidem arbitror permotus Varronis verbis, quae exstant in eius libro de Re Rustica init.: «quocirca scribam tibi, inquit, tres libros indices, ad quos revertare, si qua in re quaeres, quemadmodum quidque te in colendo oporteat facere. Et quoniam (ut aiunt) dei facientes adiuvant, prius invocabo

1) Recte Merula scripsit *Olumpum*, nam Veteres hac forma usos esse Cicero (Or. 48, 160) et Marius Victorinus (p. 2456) testantur.

eos; nec, ut Homerus et Ennius, Musas, sed XII deos consenteis.» Etiamsi Homeri carmina non haberemus, ex hoc loco consequeretur, Homerum et Ennium a Musis invocandis initium fecisse; iam quum videamus Homerum ita incepisse, Ennium eodem modo incepisse vix videtur dubitari posse. Huic argumento addas, Ennium maxime admiratum ideoque imitatum esse Homerum, quod monuisse hoc loco satis habemus, quum uberius de hac re disseruerit Columna p. 1 sq. His duobus argumentis accedunt duo indicia secundaria quibus idem probatur. Eorum primum est, quod versus ille Calpurnii minus aptus ad exordium Ennianorum Annalium videtur; nam poetae nec omnia Romanorum bellorum certamina nec — utrumque enim verba ipsa significare possunt — in primis res Romuli canere easque prae ceteris populi Romani factis celebrare propositum erat, sed constat, argumentum primarium Ennio fuisse, bellum Punicum secundum describere, quippe quum sciret, quae huic praecessissent res iam Naevium carminibus celebrasse. Alterum est illud Romule*úm* et duell*úm*; nam concedamus, quod concedere non cogimur, veteres poetas usos esse hac forma Genitivi numeri pluralis et Substantivorum et Adiectivorum, tamen Ennium statim in initio carminis sui hoc fecisse mirum alicui videri potest;

sed huic argumento non multum tribuendum esse ipse intelligo. Illud vero non praetereundum existimo, syllabam *um* propter Consonantium vim productam esse, nec per se, quod alterum signo ∧ indicans Merula falso iudicavit. Eam enim syllabam per se correptam esse, veteres ipsos (Priscianum p. 781. Ciceronem Orator. c. 46. Quinctilian. Institut. Orat. I, 6, 17 sq. Varronem de Ling. Lat. lib. VIII, p. 148. Bip.) secutus in Fr. Aug. Wolfii et Buttmanni Museo antiquitatis studior. II, pag. 368—71. Spaldingius docuit ita, ut nullus paene dubitationi locus relictus sit. His igitur argumentis permotus versum illum Ennio abiudicandum et Calpurnio aut Merulae fidem hac in re denegandam esse existimo.

2. *Et quas commemorant Casmoinas esse...*

(Vid. Mer. pag. 1. 65 sq.). Connexuit hoc fragmentum Merula praecedenti; miror, nam qui talia connectit eum quid conglutinare non possit nescio; scribit ibi: *Musai, quas memorant Casmenas esse*. Sumptum est hoc fragmentum e Varrone de Lingua Latina p. 70, 14. Varronis verba haec sunt: «Cornua a curvore dicta, quod pleraque curvamus. Et quas memorat nosse vos esse casmenas». Qui locus quin plane corruptus sit nemo dubitabit, qui eum vel aliud agens consideraverit. Ios. Scaliger in Coniect. ad Varr. p. 115. legendum

putat: «Cornua a curvore dicta, quod pleraque curva. Musas quas memorant Casmoenas esse»; et hoc esse testimonium alicuius poetae, maxime Ennii existimat. Ingeniosa sane Scaligeri coniectura; sed dubium mihi videtur, num lateat sub Varronis verbis fragmentum aliquod poetae. Si latet et si coniecturae locus est, ego aliam proferam, non quo eam Scaligeranae praeferendam esse putem, sed ut ostendam, me quoque aliquantum de medela huius loci cogitasse. Puto igitur legendum esse: «Cornua a curvore dicta, quod pleraque curva. Musas quas memorat Casmoenas esse deasque», ut respiciat Ennius ad verba Homeri: ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστέ, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα. Quod si statuimus, versus non statim initio Annalium collocandus erit, sed ubi de Homero poeta loquitur.

3. *Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo!*

(Vid. Mer. pag. 1. 73 sq.). Ennio hunc versum tribuit Merula secutus Servium, cuius haec sunt ad Virg. Aen. II, 274. Hei mihi cet.]: «Ennii versus. [Et totum iungendum, ne distinctione frigescat.]». Verba uncis inclusa pluribus codicibus desunt; pro *Ennii versus* nonnulli exhibent *Ennonii versus* (haud dubie pro *Enniani*); qua lectionis varietate permotus dubito num versus integer Ennii Annalibus adscribendus sit, praesertim quum

perpauci tantum versus in promptu sint, quos integros Virgilius Ennio surripuerit. Accedit, quod eos quoque versus apud Virgilium Servius *Ennii versus* videtur nominasse, qui re vera Ennianis non nisi simillimi sunt. Conf. ad fragm. 29. De loco huius fragmenti me iudice certi quidquam dici non potest. Merulae sententiae, qui conqueri Ennium hoc loco spectrum illud Homeri specie indutum, ideoque versum primo Annalium libro adscribendum existimavit, quominus accedamus impedit illud *ab illo*; itaque mea sententia aut Ennius non scripsit *ab illo* aut versus ipse incerti Annalium loci putandus est, quod alterum statuit Columna p. 125.

4. *Septingentei sunt paullo plus vel minus annei,*
Augusto augurio postquam incluta condita Roma'st.

(Vid. Mer. p. 1. 6. 74. 214). Utrumque versum servavit Varro de Re rustica lib. III, 1. p. 94. Ipsius Varronis verba haec sunt: «Etenim vetustissimum oppidum quum sit traditum Graecum, Boeotiae Thebae, quod rex Ogyges aedificarit: in agro Romano Roma, quam Romulus rex. Nam in hoc nunc denique est, ut dici possit, non quum scripsit Ennius: Septingentei» cet. Varronis verba Ennium non satis accurate temporis rationem

habuisse idque Varronem ipsum statuisse, nisi me fallunt omnia, sole clarius indicant; non est igitur cur Merulam secuti utrumque versum coniungendum negemus. Conf. Col. p. 125.[2]) Ceterum versus esse Annalium argumentum arguit et metrum, eosque primo libro adscribendos esse admodum probabile est.

5. *Mavors*. . . . . . (Vid. Mer. p. 2 et 111).

Calpurnium Pisonem hoc fragentum servasse addito libro, quo pertineat, dicit Merula l. c.

6. *Daedala*. . . . . .

. . . . *Menerva*.

(Vid. Mer. 2. 112). Minervam ab Ennio Daedalam nominatam esse auctor est Festus s. v. *Daedalam* p. 52; iam teste Merula Calpurnius Piso dicit, hic deos deasque ab Ennio invocari parentes, auctores, custodes reipublicae Romanae, indeque Merula, si eius verba recte percipio, consequi putat, quum a Cicerone Minerva urbis Romanae custos dicta sit, invocari hoc loco ab Ennio Minervam nomine *Daedalam*. Mira sane conclusio, quae cur mihi nullo modo placeat, non dicam; quod verum videtur, id proposuisse satis habebo, scilicet Minervam ab Ennio Daedalam nominatam esse. Conf. Columm. p. 328.

2) Niebuhrio, qui poetam annos cyclicos intellexisse statuit (Roem. Gesch I, p. 188 sqq. ed. 2) ingeniose adversatus est V. Ill. A. G. a Schlegel (Heidelberg Jahrb. 1816. n. 56, p. 888 sq.), qui ipse de Ennii fragmento sententiam protulit admodum probabilem.

7. . . . . *Saturno, quem Coilu' genuvit.*

Hanc versus particulam uterque, Merula p. 3. (conf. 161 sqq.) et Columna p. 30. habent; dubitari posse de eius scriptura, num vera sit, infra videbimus. Exstat fragmentum excepto verbo *Saturno* apud Sosipat. Charisium, cuius haec sunt (Institut. Grammat. p. 55. edit. Putsch.): *quem coelus genuit.* Idem fragmentum addito auctoris nomine servavit Non. Marcellus p. 197. edit. Mercer.: «Ennius: *Fortis Romanei, quanquam coelus profundus*, idem: *Saturno quem coelus genuit*». Errat igitur vir insignis doctrinae et acutissimi ingenii Ios. Scaliger, qui hoc fragmentum Epicharmo tribuendum putaverit. Merula et Columna id esse Ennii primoque Annalium libro adscribendum recte iudicaverunt, sed uterque fragmentum perperam scriptum exhibuit. Nec enim est cur Columnam sequamur scribentem: *Saturnus, quem Caelu' genit. . . .*, nec Merulae mutatione opus est, sed Nonium Marcellum secuti fragmentum sic dispositum putamus fuisse:

— *vv* — *vv* — *vv* — *vv* — *Saturno*,
Quem Caelus genuit. . . . Ceterum contra Merulam monendum est, ab Ennio scriptum esse *caelum* neque *coelum* teste Festo s. v.

8. . . . . *armeis*
Conditur Alba potens. . . . (Vid. Mer. 3. 125).

Sumpta sunt haec verba teste Merula e Glossario quodam, de quo supra pag. 11 sq.

diximus. In hoc igitur erat: «Armipotens ὁπλοκράτωρ. Ennius: *armis conditur Alba potens*». Primum miror, illud Glossarium, quod teste Merula non nisi ad rariores voces auctores, quibus eae in deliciis, adscripserit, hanc versus particulam Ennii servasse, quasi verbum armipotens Ennio in primis in deliciis fuerit, quo scimus Virgilium quoque usum esse; deinde non intelligo, quid verba allata ad explicandum verbum *armipotens* valeant; ea enim explicationi, qua armipotens est ὁπλοκράτωρ, nec addere quidquam possunt nec detrahere. Videturne illa observatio Ennii citandi causa posita?

9. *Ilia in amnem Tiberim iussu Amulii regis Albanorum praecipitata est.*

(Vid. Mer. p. 4 et 182). Porphyrionis verba ad Horat. Od. I, 2, 17 sqq. (p. 7. Cruquii comment.) haec sunt: «Ilia auctore Ennio, in amnem Tiberim iussu Amulii regis Albanorum praecipitata est». Sed quaeritur, num recte fecerit Merula, qui Porphyrionis verba in hunc locum retulerit. Porphyrionem l. c. Ennii Annales respexisse quanquam verisimile est, pro certo dici nequit; nam nonne Ennius in tragoedia vel comoedia illud narrare potuit? Quid? Si Ennius in alio carmine nunc deperdito eam rem exposuit? Sed concedamus, argumentum illud ab Ennio teste Porphyrione tractatum optime locum habuisse in Annalibus, idque Merulam

recte statuisse; in eo certe parum caute egit, quod quae minime fragmenti locum obtinere possint in fragmentorum collectionem recepit. Porphyrionis verba quaeque sunt eiusmodi explicando argumento inserviunt; nec vero fragmentis adscribenda sunt, nisi ipsius auctoris verba continent. Itaque laudo Columnam, qui talia fragmentorum collectioni proposuerit.

10. . . . . . *cetera, quos peperistei Ne coires* . . . . . (Vid. Mer. p. 4. 185).

Citat hoc fragmentum Merula e schedis Servianis P. Danielis, de quo explicatius supra p. 13 sq. diximus. Serv. ad Virg. Aen. IX, 656. cetera]: «*deinceps:* et est adverbium [i. e. *in ceterum*; est autem Ennianum: cetera quos peperisti ne cures]». Verba quae uncis inclusa sunt a Servio ipso profecta non puto, sed inserta ab homine male sedulo, qui verbi *cetera* explicationem a se pro manca habitam explere pro virili tentaverit; quod quidem nihil impedit, quominus illud fragmentum Ennio tribuamus. Moneo hoc loco, a Servio hanc omnino legem observatam esse, ut eos Virgilii locos nominet Ennianos, in quibus quod ad sententiam aut insolitam verborum significationem aut utrumque attinet Ennium Virgilius imitatus est. Fieri solet, ut formulae *hic locus Ennianus* aut simili locus Ennii addatur, quod hic factum esse videmus. Conf. ad fragm. 22. Et possem prae-

terea plura exempla colligere, quae hoc verum esse ostenderent, sed haec duo satis esse puto.

11. . . . *gemineique hinc ubera circum Ludunt pendentes puerei. . . .*

(V. Mer. 4. 189 sq.). Virgilius Aen. libr. VIII, 630—633:

Fecerat et viridi foetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam, geminosque hinc ubera circum
Ludere, pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos. . . . .

Ad versum 631. Servius adnotat: «Sane totus hic locus Ennianus est»; his igitur Servii verbis permotus Merula ex Virgilii l. c. Ennii fragmentum sumpsit existimans, *plura fortassean Ennii latere apud Virgilium.* Prout versus apud Virgilium exstant, propter ipsius primi versus sententiam Ennii esse nequeunt; nec facile credam, quod Merula statuit, Virgilium ipsis Ennii verbis leviter immutatis usum esse. Neque sane satis mirari possum, quid hominem et magna doctrina et acri iudicio praeditum moverit, ut nullo alio argumento nisi quod Ennius aliquid iisdem de rebus aut eodem modo scripserit — nam nihil aliud Servii verba significare et per se probabile est et ex adnotatione nostra ad fragmentum praecedens consequitur — illum Virgilii locum Ennii esse affirmaverit.

12. . . . . . . *Acca Larentia. . .*

(Vid. Mer. pag. 5. 196). Sumptum hoc fragmentum dicit Merula ex Origine gentis Romanae. Libenter concedam, in verbis a Merula allatis nonnulla inesse, quibus in Annal. I. Ennius usus sit; sed ea inde sumenda et in hunc locum referenda esse nego.

13. *Nascere quai populos terraque marique lacesses*
Bellei torbine praepropero, concussa tremiscent
Cuncta acreis a te vireis. . . . .
in Roma Troia revixtei.

Merula p. 5. 199: «Hoc primae notae fragmentum cum sequenti est apud Calpurnium libro I. de Continentia veterum poetarum: Ennius in primo Urbem condendam compellat, et compellatae omnia, quae magnitudinem eius testatura, precatur his verbis:

Nascere» cet. Versus ipsi Ennio indigni mihi non videntur. Unum tantum in iis displicet, dico illud *acreis a te vireis*, quod an Latine dici possit vehementer dubito; certe Lucretii loco a Merula laudato non defenditur.

14. *Iuppiter! haut muro fretus magi' quamde manuum vei.*

(Vid. Mer. 5. 216). Festus l. XV. 3. v. *quamde*, p. 133. ed. Lindem.: «Quamde pro quando dicebant antiqui»; ibid. p. 221. legitur: «Quamde pro quam usos esse antiquos, cum multi veteres testimonio sunt, tamen huius in primo:

Iuppiter! ut muro fretus magi' quamde
manus vi
. . . . . secundo:
Quamde tuas omnes legiones ac popularis».

Pro *tamen huius* alia est lectio *tum est Livius*, et pro *manus vi* alia *manus impe.* Merula legendum putat: *tum Ennius in primo;* sed addit: «Si sit tamen, qui mendam apud Festum neget, et versum Livii ad primum vel Annalium (quod maxime vero est simile) vel Odysseas vel Erotopaegnion referendum existimet, non admodum pugnabo». Quae hoc loco Merula de Livio addit falsa esse vix est quod moneam. Nam Livium nec Annales scripsisse [3]) nec Erotopaegnia, eiusque Odysseam Saturnio versu conscriptam esse nunc nemo est quin sciat. Itaque lectio illa *tum est Livius* sine dubio reiicienda est; et quum uterque versus, ut apud Festum legitur, hexameter sit, equidem vix puto dubitari posse de lectione illa a Merula primo proposita, num vera sit. Uterque igitur versus, nam si statuimus priorem esse versum Ennii, continuo concedendum erit, posteriorem quoque esse eiusdem, recte a Merula Annalibus adscriptus videtur.

---

3) Merula aliique viri docti Diomedis (II. p. 480) loco inducti Livium Andronicum quoque Annales scripsisse falso arbitrati sunt, conf. Liv. Andronici fragmenta coll. ab H. Düntzer. p. 17.

15. *Adgrettus farei:* . . . . . (V. Mer. 7 et 229). Festus l. I. p. 6: «Adgrettus, apud Ennium: adgrettus fari, pro eo quod est adgressus ponitur [4])». Idem fragmentum habet Columna p. 326. locatum inter incerta Ennii fragmenta, et recte quidem. Neque enim facile possum, quin eum temerarium dicam, qui talia Annalibus eorumque certo libro adscribere non dubitaverit. Quod cur mihi videatur dicerem, si hoc ipso sol quidquam vidisset clarius.

16. . . . . . *quei folmine claro*

Omnia per sonitus arces. . . . (V. Mer. p. 7. 232). Merulae verba haec sunt: «Hoc Ennii fragmentum debet respublica litteraria erudito Maronis interpreti Servio, quem servat Bibliotheca P. Danielis, viri ab meliorum litterarum studio minime avorsi». Fragmentum apud Servium, quem nos habemus, non inveni [5]), quod miror, quum in editionibus Servii a Burmanno et Lione institutis hoc uno excepto omnia fragmenta Ennii inveniantur, quae Merula e Servio Pet. Danielis recepisse se dicit. Ceterum si

---

4) C. O. Müller, qui Festi Lexicon mox edicturus est, bonos codd. secutus pro *adgrettus* (p. 6) scripsit *adgretus*. (Eius libri plagulas benigne mecum communicavit Fr. Ritteri, professoris nostri prolixa voluntas).

5) Spangerb p. 30. fragmento adscripsit Servius ad Aen. I, 35, ubi vix locum habere potest.

fragmentum Ennii est, cur in hunc locum referendum sit non intelligo.

17. . . . . . *Rex deinde citatus*

Convellit sese. . . . (Vid. Mer. p. 7. 232). Servavit hoc fragmentum Servius ad Virg. Aen. XI, 19: «Ennius: rex deinde citatus convellit sese». Fragmentum esse ex Annalibus eorumque priore parte sumptum admodum probabile est, sed qui huic et similibus fragmentis certum locum indicare studet, eum omnino operam male collocasse arbitror. Idem valet de duobus versibus sequentibus v. Col. p. 137 et 139.

18. . . . . . . *Tatienses*. (Vid. Mer. p. 8). Varronis verba haec sunt (de Ling. Lat. p. 16, 26): «*Tatienses a Tatio*, ait Ennius»; sed quum Ennius haud dubie aliis verbis id conceperit, ipsa Varronis verba non certo Annalium libro sed testimoniis virorum doctorum de Ennio propositis adscribenda existimo.

19. *Iuno, Vesta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars,*

Mercurius, Iovi, Neptunus, Volcanus, Apollo.

(Vid. Mer. 8. 243 sqq.). Referuntur versus ab Appuleio in libro de Daemone Socratis, et a Marcian. Capella in Nuptiis Philol., cuius verba v. apud Columnam p. 164 sq. Columna versus Epigrammatis Ennianis adscripsit, cui sententiae obstare videtur alterius versus metrum; omnia enim epigrammata

reliqua versu elegiaco conscripta esse videmus. Quid statuendum sit ipse incertus haereo; nec Merula nec Columna ad sententiam suam probandam causam satis idoneam attulit.

19. . . . . P — *es du*
. . . . . . pe — — *de ruit*
. . . . . Ennius lib. I. *Annalium*. . . .

(Vid. Mer. p. 8. 252). Festus p. 210: «Pes dicitur. . . . Ennius I Annalium». Quid notaverit Festus l. c., coniectura assequi non poteris; quanquam dubitari vix potest, quin attulerit verba ex Ennii Annal. l. I. Neque Lindemannus (v. p. 603) verbum Ennii inde erui posse existimat.

21. *Contremuit templum magnum Iovis altisonantis.*

(Vid. M. l. II. p. 9 et 263). Servatur versus apud Varronem de Lingua Lat. p. 66, 34 sq. non addito auctoris nomine; sed eum esse Ennii quae ibi praecedunt et sequuntur satis docent. Fragmentum esse ex Annalibus sumptum argumentum arguit et metrum, sed cuius libri sit, prorsus incertum est; itaque recte a Columna p. 149. Annalium fragmentis ex incertis libris, sine iusta causa a Merula certo Annalium libro adscriptum est.

22. . . . . *quianam legiones caedimu' ferro?*

(Vid. Mer. 9. 272). Servius ad Virg. Aen. X, 6. *Coelicolae magni, quianam sententia*

vobis]: «Quianam, cur quare. Sermo Ennianus: [quianam legiones caedimus ferro]». Quae uncis inclusa leguntur haud dubie serius addita sunt. Conf. Pierii Castigationes ad Virg. l. c. Ipsum Ennii fragmentum a Servio servatum Annalium incerti libri existimo. Ceterum videas hoc loco, Servium eos quoque versus Ennianos nominasse, in quibus Virgilius unius verbi usum ab Ennio mutuatus sit.

23. *Quamde tuas omneis legioneis ac populareis.*

(Vid. Mer. p. 10. 274). Hunc versum recte a Merula secundo Annalium libro adscriptum esse supra ad fragm. 13. diximus.

24. *Et cecinit Curios fratres. . . .*

(Vid. Mer. pag. 10 et 276). Exstant haec verba apud Propertium l. III, 2, 7 sqq.:

Et cecinit (Ennius) *Curios fratres, et Horatia pila,*
Regiaque Aemilia vecta tropaea rate;
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
Cannensem, et versos ad pia vota deos,
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
Anseris et tutum voce fuisse Iovem.

Edocemur hoc Propertii loco, Ennium cecinisse Curiatios et Horatios fratres, victoriam Pauli Aemilii a Perse Macedonum rege reportatam, rem Romanam a Q. Fabio Maximo Cunctatore

restitutam, cladem Cannensem, fugatum Hannibalem, Gallos ab arce Tarpeia depulsos. Sed haec omnia Ennium cecinisse et per se probabile est et ex nonnullis Annalium fragmentis consequitur; itaque Merulam Propertii verba in fragmentorum collectionem recipientem non laudo, sed placet Columna, qui ea quaeque sunt eiusmodi testimoniis virorum doctorum de Ennio propositis adscripserit.

25. . . . . . *Laetificum gau.*

(Vid. Mer. p. 10. 278). Merulae verba haec sunt: «Ausonius in Grammaticomastige:

Ennius ut memorat replet te laetificum gau.

Huc referendum videtur monere Glossarium, suo aevo maximi, Gulielmi Fornerii: *Gau*, *Gaudium*, *χάρμα. Ennius in II*». Ex hoc Glossarii loco non sequitur, quod Merula inde consequi vult; fieri enim potest, aut potius verisimile videtur, Ennium, quem tam multa scripsisse scimus, saepius verbo *gau* usum esse. Itaque Columnae sententia mihi praeferenda videtur, qui p. 327. verba *replet te laetificum gau* in incerta Ennii fragmenta retulit.

26. . . . . . *et Horatia peila.*

(Vid. Mer. p. 10). De his verbis conf. nostra ad fragm. 24.

27. . *Volturus in silvis miserum mandebat hemonem*
Heu quam crudelei condebat membra sepolcro.

(Vid. Mer. p. 10 et 283). Columna p. 141. hos versus in incerta Annalium fragmenta retulit. Quo iure Merula eos certo loco posuerit, non intelligo.

28. *Quomque caput caderet sonitum tuba sola peregit,*
Et pereunte viro, rauco sonus aire cucurrit.

(V. Mer. p. 10 sq. et 287 sq.). Idem framentum habet Columna, neque vero integrum p. 139:

. . . . . *caput caderet sola tuba peregit*
Et praeeunte viro raucus sonus aere cucurrit.

Rectius Merula; nam Lactantii verba ad Statii Thebaid. l. XI, 56 sq. p. 376. edit. Tilobrog. haec sunt:

Cumque caput caderet carmen tuba sola peregit,
Et pereunte viro raucum sonus aere cucurrit.

Raucum adverbii vice fungens hoc loco ferri vix potest, et haud dubie mutandum est in *raucus* aut *rauco*, quod utrumque defendi potest. Fragmentum ipsum esse Annalium liquet, neque vero cui libro adscribendum sit diiudicari potest.

29. *Oscitat in campeis caput a cerveice revolsum,*

Semianimesque micant ocolei, lucemque requeirunt
Nequeiquam, reliquai carni nil est animai.

(Vid. Mer. p. 11. 288). Duo priores versus laudantur a Servio ad Virg. Aen. X, 396. *Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant*]: «*Ennii est, ut:*

Oscitat in campis caput a cervice revolsum
Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.

Quem versum ita [ut fuit,] ad suum carmen transtulit Varro Atacinus». Eosdem versus Columna habet p. 138. in fragmentis incertor. libror. Sed Merula l. c. his duobus tertium addit sumptum e Calpurnii Pisonis Continentia, ubi Merula haec legit: «Morti proximum, quum (*emendo quin*) mortuum, vivis coloribus depingit Ennius libro secundo Annalium, ubi sic scribit: Oscitat» cet. Sed tertius hic versus num Ennii sit equidem puto dubitari posse hisce argumentis permotus: primum quod Virgilii versus a nobis transcriptus alteri Enniano simillimus et numeri prorsus eiusdem est; quae similitudo mire interrumperetur, si illud *nequeiquam* Ennii esse statueremus. Alterum argumentum est, quod apud Servium de illo *nequeiquam* tacetur, et profecto non facile in-

telligi potest, qui Varro Atacinus alterum Ennii versum *ita ut fuit* ad suum carmen transferre potuerit, nisi idem etiam *nequeiquem* cum ipso versu arctissime coniunctum receperit. His argumentis accedit tertium, quod *lucemque requirunt nequeiquam* parum accurate dictum videtur; quamdiu enim anima adest, oculi lucem non *nequeiquam* requirunt, et efflata anima lucem omnino non requirunt. Haec omnia me eo adducunt, ut admodum probabile statuam, versum illum Ennio ab impostore tributum esse, sumptum fortasse e Lucret. l. III:

«*Et caput abscissum calido, viventeque trunco*
Servat humi vultum vitalem, oculosque patenteis;
Donec relliquias animai reddidit omneis».

Ceterum e Servii loco transcripto apparet primum, quod Virgilius locis quibusdam fecerit, ut aliorum poetarum versus vel integros vel leviter tantum immutatos in sua carmina transtulerit, hoc videri fecisse optimum quemque poetam epicum apud Latinos; v. Wuellneri de Varr. Atacini Vita et Scriptis comment. p. 18; deinde, quibus Virgilii versibus Servius addiderit *versus Ennii*, eos integros Maronem Ennio surripuisse perperam statui.

30. . . . . *cairola prata.*

(Vid. Mer. 11. 291 sq.). Servatur hoc frag-

mentum apud Festum s. Rigido p. 235, ubi haec leguntur: Rigido *tum caerula suro, quum ait* Ennius iocatus videtur *super etymo verbi caeruli.* Est enim a maris *nomine. Eodem verbo de eadem* re usus est et lib. II:

Fert se per laeta campi caerula; prata *caerula mare ipsum dixit* et alibi: Inde Parum *per caerula navibus ambulabant* [6]. Versus a Festo memoratus integer exstat apud Macrobium VI, 3:

Fert sese campi per caerula laetaque prata; itaque Festum hunc Ennii versum respexisse et illud *prata* in Festi loco ad praecedens *caerula* referendum statuo. Idem statuit Columna p. 47 sq.; cur Merula versum a Macrobio servatum Annalium libro secundo adscribere noluerit, ratio non in promptu est.

31. *Europam Libuamque rapax ubi dei-*
vidit unda.

(Vid. M. p. 11. 294 sq.). Servatur hic versus apud Ciceronem Tusc. disp. I, 20. non adiecto auctoris nomine; eundem Cicero profert l. III. de Natura deor. cap. 10; et intelligitur

---

6) Quae nutante scriptura impressa sunt, ea omnia a viris doctis suppleta sunt, neque in vetere codice habentur. In codicibus haec tantum insunt: Rigido . . . . . Ennius iocatus videtur . . . . n est enim amanis no . . . . re usus est. et lib. II. . . . . caerula prata cae . . . . et alibi. Inde Parum . . . . . . ulabant.

sine dubio fretum Herculeum sive Gaditanum. Fragmentum esse Ennii maximam probabilitatis speciem habet, et in eo omnes viros doctos, quorum de hoc fragmento sententiam propositam legi, consentire intellexi, et hanc maxime ob causam, ut puto, quod Ennii potius quam alius minus noti poetae versum Ciceronem omisso auctoris nomine retulisse credere par est. Sed cui Annalium libro versus adscribendus sit, incertum est, quod ipse Merula testatur, qui in edendo libro suo sententiam de ea re mutaverit, v. eius Comment. p. 295.

32. . . . . . *insomnia* . .

(V. M. lib. III. p. 12 et 319). Exstat hoc Ennii verbum apud Servium ad Virg. Aen. IV, 9: «*Insomnia* licet et Pacuvius et Ennius frequenter dixerint, Plinius tamen exclusit et de usu removit». Temeraria sane coniectura, qualem vituperare taedet. Quam falso enim a Merula illud verbum in Ennii Annales relatum sit, non est quod dicam. Nonne aliquis eodem iure idem sexcenties in unoquoque Ennii carmine reposuerit? — Equidem omnino hoc tenendum iudicavi, ut de iis fragmentis, quae non solum a Merula sine iusta causa loco certo adscripta sunt sed etiam cuius sint loci dici non possunt, tantum addam, ea esse loci incerti.

33. *Haut temere 'st, quod tu tristei cum*
mente gubernas.

(Vid. Mer. p. 12. 320). Versus Columnae deest. Exstat apud Servium P. Danielis; exspectamus eum afferri, ubi vis verborum *haud temere* explicatur i. e. apud Servium ad Virg. Aen. IX, 375, ubi est: «*haud temere.* Particula haec modo [non] sine causa (*alii codd. non sine causa*) significat, alias fortuito, alias male, alias improvide, alias facile, Plaut. in Bacch. I, 1, 57». Sed hic desideratur et exstat apud Servium ad Aen. IX, 329, in quem locum mihi videtur hinc migrasse. Vid. Cap. II, fr. 38. Ceterum versus videtur Annalium esse sed incerti libri.

34. *Deiriu' supplicium sceleris violentia poscit.*

(Vid. Mer. p. 12. 324). Merulae verba sunt haec: «Glossae Fornerii: παλαμναῖον *dirum, quod deorum iram habet coniunctam. Ennius in tertio:*

Dirius supplicium sceleris violentia possit.

Lego *poscit* poscente sententia». Nonne mirari subit, hoc quoque loco versum integrum e Glossario illo citari eumque indicato libro, quo referendus sit?

35. . . . . . *Reges odisse superbos.*

(Vid. Mer. l. IV. p. 13 et 325). Est etiam apud Columnam p. 148. in fragmentis inc. Annalium libr. Servatur apud Ciceronem in Epist. ad Att. II, 8. non adiecto auctoris nomine. Idem

exstat ibidem VI, 3, quo quidem altero loco haec leguntur: «tibi autem valde solet in ore esse:

Granius autem
Non contemnere se [7]; et reges odisse superbos».

Sic locus legitur apud Orellium aliósque; codd. exhibent *Gravius*; emendavit Corrad. De varia ipsius loci scriptura et emendandi ratione v. Mer. l. c. De sensu loci dubitari nequit; Granius, inquit poeta, quem potentiores despiciebant, ipse se non contemnebat; idemque reges superbos (i. e. potentiores illos) oderat. Hunc Gránium esse illum, cuius Lucilius tam saepe mentionem fecerit, et ipsos versus, quos in ore frequenter Atticus habuerit, esse Lucilii admodum probabile, ne dicam certum, est. Granius passim memoratur in Lucilii fragmentis, eumque Lucilii amicum fuisse v. Satir. XI, p. 98. editionis Fr. Dousae [8]).

36. *At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta'st,*
Corde suo trepidat, delicto Coclite . . .

(Vid. Mer. pag. 13. 327). Priorem versum et particulam posterioris servavit Cicero de Orat. III, 42 fin. «— aut ex uno plures:

7) Hiatus in arsi coniuncta cum caesura admissus non offendit.

8) Sic eius nomen scribendum esse ipse testatur p. 98.

At Romanus homo, tamenetsi res bene gesta est,
Corde suo trepidat». . . . .

Conf. Columm. p. 151. Alteram versus posterioris partem sumpsit Merula e Glossario Fornerii, cuius haec sunt: «ἀπολειφθείς, delictus, Ennius libro tertio (*proculdubio Annalium, ut recte iudicavit Merula*):

Corde suo trepidat delicto poplite». Merula emendavit *delicto Coclite.* Nonne iure miramur, hoc Glossarium tam accurate librum fragmenti, cuius locus aliunde non cognitus est, afferre et ita quidem, ut Merulae adhibendae manus emendatricis occasio detur? Itaque si Glossario illi fides est, ipsum fragmentum a Merula loco suo collocatum puto.

37. *Obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat.* (Vid. Mer. 13. 329). Sunt haec verba sumpta e Plinii Natur. Hist. XVIII, 8. p. 110, 2 sqq. edit. Harduin.: «et Ennius antiquissimus vates obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat». Plinii verba certo libro adscribere iusto audacius videtur, et profecto non satis mirari possum, Merulam ea in hunc locum retulisse, praesertim quum ipse p. 329. dicat: «loci fragmentum et ordinis dubii; dubium etiam, quibus fuerit verbis conceptum». Equidem Plinii verba

omnino non in fragmentorum collectionem recipienda arbitror. Vid. ad fragm. 9.

38. *Vos etenim Iovenes animos geritis moliebres*
Illa virago virei . . . .

(Vid. Mer. p. 13. 329 sq.). Idem fragmentum habet Columna p. 150. Exstat apud Ciceronem de Off. I, 18, 7: «Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:
Vos etenim iuvenes animos geritis muliebris,
Illaque virgo viri . . . .
Hos versus esse Ennii plerorumque opinio est, incertum vero, in quem librum referendi sint. Mihi non displicet eorum sententia, qui hosce versus statuae equestri, quam Cloeliae statuunt positam, insculptos fuisse suspicantur. Vid. Mer. p. 330.

39. *Ova parire solet genu' penneis condecoratum.*

(Vid. Mer. 13. 330). Hunc versum non esse ex Annalium libris Merula ipse testatur p. 332; eum referendum esse in Ennii Epicharmum verbo tantum moneo, ne rem agam ab alio iam peractam. Vid. Columnae Commentar. p. 182.

40. . . . . : *Bellum*
Aiqueis de manibus nox intempesta diremit.
(V. Mer. p. 13 et 334). Idem fragmentum habet Columna p. 121 sq.; sumptum est ex Acrone

Horatii interprete, cuius haec sunt ad Horatii versum (Epist. II, 2, 98) *Lento samnites ad lumina prima duello:* «Romani quondam pugnaverunt cum hostibus Samnitibus usque ad noctem, unde Ennius: bellum (inquit) Aequis de manibus» cet. De Merula Ennii fragmentum huc referente nescio quid dicam. Putat enim fragmentum pertinere ad annum 286. ab U. c., quo anno Romani cum Aequis bellum gesserunt teste Liv. III. 2. Sed quid hoc loco Aequi? Nonne ex Acronis verbis apparet, agi de bello inter Romanos et Samnites gesto? Videas hic, unam litteram maiusculam virum doctum in errorem induxisse. Cogitandum est igitur de proelio aliquo bellorum Samnitum, quae gesta sunt inde ab a. 412. usque ad a. 464. U. c., et referendum fragmentum fortasse in librum quintum.

41. *Nobeis unde forent fructus veitaique propagmen.*

(Vid. Mer. 13. 337). Servatur versus a Nonio Marcello l. III, §. 103, p. 201. edit. Merc.: «*Propago propages*, ut saepe, generis est feminini. Pacuvius: salvete gemini, mea propages sanguinis. Neutri: Ennius: nobis unde forent fructus vitaeque propagmen». Est igitur versus Ennii et procul dubio Annalibus adscribendus, sed incertum est cui libro, quum quoad video nihil contineat, unde cuius sit loci coniici

possit. Mirum est, eum Columnae diligentiam effugisse.

42. . . . . *Volscus perdidit Axur.*

(Vid. Mer. 13. 339 sq.). Fragmentum est incerti Annalium loci. Conf. Col. p. 147 sq.

43. *Anseris et tutum voce fuisse Iovem.*

(V. Merul. p. 13 et 340). De hoc fragmento conferantur, quae dicta sunt ad fragm. 24.

44. *Tanteidem, quasi foita canes, sine dentibu' latrat.*

(Vid. Mer. pag. 13. 343). Exstat hoc fragmentum apud Varronem de Ling. Lat. p. 71, 24 sq.: «Itaque Ennius scribit: tandidem quasi foeta canes sine dentibus latrat»; et Ios. Scaliger ad Varronis l. c. p. 119: «ita lege: tandidem quasi foeta canis sit, dentibus latrat», qua quidem viri doctissimi mutatione mihi non opus videtur. Idem Ios. Scaliger testantibus Merula et Franc. Dousa versum hinc delendum et Lucilio adscribendum esse autumavit, neque vero constat, quibus id rationibus iudicaverit. Equidem non intelligo, cur versus Ennio abiudicandus sit, eumque incerti Annalium libri existimo. Eadem Columnae (p. 135) sententia est, qui Ennium hanc comparationem alicui, qui plus minis et iurgiis quam viribus valuerit accommodasse probabile iudicavit.

45. *Moribus anteiqueis Res stat Romana vireisque.*

(Vid. Mer. lib. V, p. 14 et 344). Idem fragmentum habet Columm. p. 127. Sumptum est e Ciceronis de Republ. l. V init.; quo loco collocandum sit incertus haereo.

46. *Ceives Romanei tunc factei sunt Campanei.*

(V. Mer. 14 et 346). Exstat versus apud Victorinum; idemque apud Censorinum p. 2725 edit. Putsch.; sed apud utrumque omisso auctoris nomine. Eum esse Ennii eiusque Annalium argumentum indicat et metrum. Fragmenti locus incertus est; nam cogitandum est de civitate non optimo iure; qua ipsa Campanos diversis temporibus donatos esse constat. Cf. Liv. XXIII, 5.

47. *Romanei mureis Albam cinxerunt Longam.*

(Vid. Mer. 14, 347). Merulae verba l. c. haec sunt: «Diomedes libr. III: Item Spondaicus appellatur, quum omnes Spondaeos, quem quidam Molossicum dixerunt, ut: Romanei muris Albam cinxerunt Longam. Et hoc esse carmen Ennii scripsit ad me Ianus Dousa, cui non possum non accedere». Mire fallitur Merula aut potius, cui fidem habuit, Dousa. Nec enim in operis illius tertio nec in reliquis libris inest ut opinor, hic versus; et si inesset, Molossicus dici non posset. Diomedis verba loco a Merula citato (p. 494 edit. Putsch.) haec sunt:

«Item Spondaicus appellatus, cum omnes Spondeos, quem quidam Molossicum dixerunt, ut: Romani victores Germanis devictis». Itaque ego admodum dubito, num illud Merulae fragmentum ab Ennio aut omnino a quoquam poeta eius aetatis compositum sit. Nam mihi ignotum est, unde illud sumptum sit cuiusque auctoritate Ennio adscribatur. Eiiciendum igitur erit e fragmentorum Ennii collectione, donec probus testis repertus fuerit. Fragmentum Diomedis non esse Ennii, unusquisque me non monente intelligit.

48. *Disperge hosteis, distrahe, deiduc, deivide, differ.*

(Vid. Mer. 14. 354). Glossarium Fornerii teste Merula haec: «divido διασπείρω. Ennius in quinto: disperge hosteis, distrahe, diduc, divide, differ». Mirum videri debet quod Glossarium illud in primis locos alioquin non cognitos et plerumque integrum versum affert simulque, ubi id aliunde coniici non potest, certum eius locum indicat. Versus ipse hexametri numero non repugnat, quamquam negari nequit, tales versus, quippe qui, quod singuli pedes vocabulo terminantur, nimiam habeant ordinum similitudinem, esse pessimos, et non nisi eo excusandos, quod Ennium artis metricae regulas non anxie curavisse statuere par sit.

49. . . . . *Ducuntur forte ligatei Minturnenses.* . . . .

(Vid. Mer. p. 14. 340). Servatur hoc fragmentum apud Victorinum de Carmine heroico v. Mer. l. c. et Columm. p. 151. Non dubito Merulam secutus fragmentum huc referre.

50. *Q. Ennius T. Caecilium Dentrem, fratremque eius praecipue miratus, propter eos sextum Annalem adiecit.* (Vid. Mer. l. VI. p. 15 et 359). Merulae l. c. haec sunt: «Plinius lib. VII. Natural. Histor. cap. XXVII: «*fortitudo in quo maxime exstiterit*, inquit, *immensae quaestionis: utique si recipiatur poetica fabulositas, Q. Ennius T. Caecilium Teucrum, fratremque eius praecipue miratus, propter eos Sextum Annalem adiecit.* Restituendum Caecilio cognomen, et legendum *T. Caecilium Dentrem*». Apud Plinium (Nat. Hist. VII, 28 edit. Harduin.) nunc legitur: «Q. Ennius T. Caecilium Dentrem fratremque eius praecipue miratus, propter eos sextum decimum Annalem adiecit». [9] Itaque illud Merula loco c. recte iudicans statuit legendum esse *Dentrem* pro *Teucrum*, neque immerito addit, Ennium librum sextum non propter Caecilios adiecisse, sed propter bellum cum Tarentinis gestum. Sed

---

9) Harduin. ad l. c: *sextum decimum* ita MSS, omnes Reg. 1. 2 Paris. Chiffl. etc. Editi hactenus perperam, *sextum* tantum.

idem fallitur, quod putat Plinium scribentem *Ennium sextum Annalem adiecisse* errare ideo, quod Ennius Annales suos continenti scriptura absolverit neque in libros distribuerit. Locus Suetonii de Illustrib. Gramm. c. 2. Merulam aliosque viros doctos in errorem induxit; sed eum locum si diligentius inspexeris, quoque in contextu legatur, videris, facile intelliges, ibi dici Q. Vargunteium Ennii Annales retractasse ac legendo commentandoque ceteris notos fecisse. Et praeterea per se probabile est, Ennium hac in re poetas Alexandrinos secutum Annales suos in libros distribuisse. Ex illo igitur Plinii loco apparet, Ennium lib. 16. T. Caecilium Dentrem eiusque fratrem cantasse. Sed T. Caecilium Dentrem, qui quidem aliqua re clarus fuerit, historia Romana non exhibet; neque dubito restituere huius Caecilii Dentris praenomen *Lucius*. Coniectura facillima est, ut quivis facile videt, qui scit, quoties in codicibus litterae L et T permutatae sint. Hic enim L. Caec. Denter a. 570. praetor factus est teste Livio lib. 39, 56; alterum Caecilium Dentrem, cui erat praenomen *Marcus*, 580. legatum fuisse ad Antiochum et Ptolemaeum renovandae amicitiae causa missum cum quatuor aliis idem Liv. lib. 42, 6. testatur. Hic idem vero M. Caec. Denter quin frater fuerit illius L. Caec. Dentris nihil est quod dubitemus. Merula quo-

que putat, quae Annalium l. 16. describantur, pertinere ad a. 565—574; sed idem errat iudicans, T. Caecilium Dentrem vixisse c. annum 469, fuisseque fratrem L. Caecilii Dentris, quem falso Cassiodorus nominet L. Caelium, cuiusque nomen vitiose conceptum in Fastis Siculis (Δέντων pro *Δέντερ*). Undenam tandem Merula habuit, in Cassiodori loco legendum esse pro *L. Caelium, L. Caecilium* et intelligendum esse L. Caecilium Dentrem eiusque fratrem fuisse T. Caecilium Dentrem? Apud Cassiodorum lectio *L. Caecilium* haud dubie vera est, sed intelligendus est L. Caecil. Metellus; v. Freinsheimii Supplem. Livian. l. 11, 29. Et L. Caecilium Dentrem, qui tempore a Merula indicato aliquod nomen rebus gestis consecutus sit, in rerum Romanarum scriptoribus frustra quaeres. Itaque mihi paene persuasum est, finxisse Merulam sibi utrumque Caecilium Dentrem, ut Plinii verba libro sexto aptaret; nobis, qui veram illius Plinii loci scripturam cognoverimus, non anxie quaerendi sunt T. et L. Caecilii Dentres, qui saeculo ab urbe condita quinto vixerint.

51. *Apta, dato signo, loca torreitis elefanteis*
Explorant Numidae; totam quatit ungula terram.

(Vid. Merul. p. 15. 369 sq.). Exstat alter

versus, quem etiam Columna p. 66. recepit, apud Macrobium VI, 1; priorem et posterioris particulam Merula affert e Glossario Fornerii, cuius haec sunt: «πυργοφόρος, torridus. Ennius in V: apta dato signo loca torridis elefantis Explorant numeri...»; Merula emendavit: «πυργοφόρος, torritus, Ennius in VI:

Apta, dato signo, loca torritis elefantis
Explorant Numidae». . . . .

Idem rursus Ennii fragmentorum fons, de quo passim diximus; ipsa Merulae emendatio non displicet; sed eidem Merulae *de fido connexu* dubitanti accedere non possumus; nam versum priorem quantum ad argumentum attinet apte coniungi cum posteriori docet Columna p. 66 sq.

52. *It nigrum campeis agmen. . . . . .*

(V. M. p. 15. 372.). Hoc fragmentum coniunctum fuisse cum priori probabile est, quum id esse Ennii de elephantis Servius dicat. V. Col. p. 144. Itaque non est, cur a Merula, qui fragmentum cum superiori ad bellum cum Pyrrho gestum pertinere iudicavit, discedamus; conf. Col. p. 66.

53. . . . . *Telo*
Transfeigit corpus, saxo cere comminuit brum.

(Vid. Mer. p. 16 et 373 sq.). Servius ad Aen. I, 412: «Figura, inquit, τμῆσις est, quum, secto uno sermone, aliquid interponimus, ut

alibi (Georg. III, 381): septem subiecta trioni cet. Sed hoc tolerabilius est in sermone composito. Ceterum in simplici minus est asperum; quod tamen faciebat antiquitas, ut in illo Ennii:

. . Saxo cere comminuit brum.»

Conf. Col. p. 151. Merula p. 308. e Calpurnii Pisonis Continentia haec affert: Scripsit Ennius, licentia quaedam toleranda lib. VI:

Telo
Transfigit corpus, saxo cere comminuit brum.»

Displicet mira huius fragmenti sententia; nam non facile intelligi potest, quomodo aliquis hostem telo transfigere idemque eius cerebrum saxo comminuere possit.

55. . . . . *tetrosque elefantos.*

(Vid. Mer. 16. 374). Hoc fragmentum Columnae deest. Exstat apud Isidor. l. IX, p. 61. edit. Margarini de la Bigne: «*teter* ab obscura tenebrosaque vita. *Teterrimus* pro fero nimium, *tetrum* enim veteres pro fero dixerunt, ut Ennius: *tetrosque elefantes*». Fragmentum igitur est Ennii et videtur huc referendum esse. Quod alterum certum esset, si nullum aliud Ennii carmen exstaret, quo illud posset apte referri.

56. . . . . . . *Anionem*, et sequens fragm.

57. *Brundisium polcro praicinctum praipete portu*

(vid. Mer. p. 16 sq. et 386 sq.), quod utrumque a Columna p. 120 et 149. in incerta Annalium fragmenta relatum est, a Merulâ sine causa satis idonea hoc loco collocatum est.

58. . . . . . . *Poinei stipendia pendunt.*

(Vid. Mer. lib. VII. p. 17 et 395). Fragmentum, quod Columna p. 146. in incertis Annalium fragmentis habet, me iudice a Merula recte in septimum Annalium relatum est; sed in eo discedo a viro doctissimo, quod verba illa de stipendiis, quae bello Punico primo coacti Carthaginienses Romanis pependerunt, intelligenda puto [10]).

58. . . *tunicata Ioventus.*

(Vid. Mer. p. 17. 396). Hoc quoque fragmentum, quod Columnae diligentiam effugit, Merula recte videtur huc retulisse.

59. *Capitibus nutanteis pinus, rectosque cupressos.*

(Vid. Mer. 17 et 400). Conf. Columu. p. 135. Hoc fragmentum sine iusta causa huc relatum est. Ceterum, id quod Merula et Columna omiserunt, monendum puto, versum pronuntiandum esse:

Cap'tibu' nutanteis pinus, rectosque cupressos.

---

10) Nam *stipendia pendere* est tributum solvere, ut docet Forcellin. s. v. *stipend.*

60. *Iuppiter inducitur, promittens Romanis excidium Karthaginis.* (Vid. Mer. p. 17. 395 sq.). Exstant haec verba apud Servium ad Aen. I, 20: «*audierat*] a Iove, aut a Fatis: non enim omnia numina habent divinandi facultatem: denique ne ipse quidem Apollo sua sponte divinat, ut est III, 251. — Et perite audierat: in Ennio enim inducitur Iuppiter promittens Romanis excidium Carthaginis». Ex his Servii verbis quid sequatur, iudicare velint, quorum de hac re est iudicium; hoc certe ex iis non consequitur nec aliunde cognitum est, Iovem ab Ennio inductum fuisse in libro *septimo*. Ceterum, cur talia non in fragmentorum collectionem recipienda putem, supra indicavi.

61. *Ut clavom rectum teneant, navimque gubernent.*

(Vid. Mer. p. 18. 401). Exstat versus addito auctoris nomine apud Isidorum, idemque apud Quinctilianum (vid. Col. 132), sed ita scriptus:

Ut clavum rectum teneam, navimque gubernem.

Non erat, cur Merula eum mutaret; neque cur eum in hunc locum retulerit, intelligo. Quod alterum etiam valet de versibus, qui exstant apud Merulam p. 18, v. 16 et 25; conf. Columnn. p. 132.

62. . . . . *Aplustra.*

(Vid. Mer. p. 18 et 410). Affert hoc ver-

bum Merula e Glossario Benedicti («Glossaria duo e situ antiquitatis eruta, ad utriusque linguae cognitionem et locupletationem perutilia — ed. Henr. Steph. a. 1573.» p. 17): «aplustra πτερὸν πλοίου, ὡς Ἔννιος». Sed cuiusnam tanta est divinandi facultas, ut illi verbo certum locum indicare possit? Quis quaeso cogitando causam inveniet, qua adductus Merula id huc retulerit?

63. *Molta foro ponens, ageaque longa repletur.*

(Vid. Mer. 18. 411 sq., conf. Col. 132). Merula cur hunc versum huc retulerit nec addit neque causa in promptu est.

64. *Africa terribelei tremit horrida terra tumoltu*
Undique, moltimodis consumitur anxia coireis:
Omnibus endo loceis ingens apparet imago
Tristitias, oculosque manusque ad sudera lassas
Protendunt, exsecrando duci' facta reprendunt
Poinei, pèrvortentes omnia, circumcursant.

(V. Mer. p. 19. 416 sqq.). Primum versum Columna quoque habet p. 129, sumptum e Ciceronis de Orat. III, 42. Exstat idem aliis locis; quinque versus sequentes Merula citat e Calpurnii Pisonis Contin. l. I. Calpurnii verba

haec sunt: «Asyndetos (ἀσυνδέτως) insigni artificio exaggerant et poetae et oratores, veteres imprimis, tempestates, hostium incursiones, urbium oppugnationes, luctus et publicos et privatos, et talia»; et paullo post: «quanta autem, audita suorum clade, formidine contramiserint (*Mer. leg.* contremuerint) Afri, quam repente imo (*Mer.* repentino) motu illorum animi conciderint, Ennius libro septimo, dissolutiore, id est meliore, describit arte quam Naevius, quod potuit, qui hoc posterior fuit: Africa» cet. Priusquam Pisonis verba ipsumque fragmentum consideranda aggrediar, monebo, Merulam l. l. e Festi l. XVIII. fragmentum eruere conatum esse, quod idem Piso affert, et in Festi loco coniectura effecisse *Naevius in tertio*, quum tamen codicum auctoritate legendum sit; *idem* (Novius) *in Funere: Agite, exite, temulentum tollite;* et profecto Merulae mutatione probabilius sit statuere, Novium scripsisse fabulam s. t. *Funus.*

Iam quid de ipsis Calpurnii verbis et de versibus Ennio tributis mihi videatur proferam. Si quis versus a Calpurnio allatos cum Ennianis comparaverit, haud dubie statuet, eos propter vim poeticam et dictionis genus Ennio omnino esse dignos; attamen non celabo, in iis ipsis et in Calpurnii verbis quaedam inesse, quae ut de fide hac in re Merulae habenda

duditari possit efficiant. Nam primum quaero, quid tandem sibi velint Calpurnii verba: *Ennius dissolutiore id est meliore describit arte quam Naevius, quod potuit, qui hoc posterior fuit?* Ad primum adspectum aliquis suspicari possit, illis verbis significari Ennium in describendo bello Punico primo ipsam rei veritatem non anxie curavisse; sed ut Ennius res gestas aliis poetis epicis liberius tractaverit, tantum abest ut eo ipso quod veritatis diligentem se praebuit eius Annalibus epici carminis vim et naturam deesse non immerito dixeris. Itaque illa Calpurnii verba videntur significare Ennianam orationem numeris minus adstrictam esse eoque praestare Naevianae. Sed eam vocabuli *dissolutiore* significationem si statuimus, quomodo cum *arte* coniungi possit vix intelligo. Utcunque se res habet, Calpurnii verba obscure et parum accurate dicta sunt, ita ut in iis Calpurnii *stilus elegans et succinctus*, quem Merula in Praef. p. 3. laudat, minime appareat. Aliud in Calpurnii verbis offendit, dico comparatam Ennii descriptionem belli Punici primi cum Naeviana. Res est haec. Versus a Calpurnio servati et ipsius et Merulae sententia ad bellum Punicum I. spectant; alioquin enim Ennius cum Naevio comparari non potuit; iam constat, Naevium maxime id bellum descripsisse, Ennium paucis absolvisse; itaque mira mihi

videtur comparatio poetarum eadem sed ambitu prorsus diverso describentium; huc accedit, quod non video, quaenam clades belli Punici I. Carthaginiensibus tantum terrorem iniecerit; Merula ipse de ea re videtur dubitare v. eius Comment. p. 421 [11]). Mihi versus illi Ennii viderentur omnino aptius referri ad bellum Punicum II, nisi ipsius Calpurnii verba obstarent. — Quod ad versus ipsos attinet primum offendit languidum illud *undique*, quo sententia primi versus, qui mira arte compositus est, frigescit; atque mirum videtur, quod id ab iis, qui primum versum attulerunt, omissum est. Desiderantur sane coniunctiones certe in quinto et sexto versu; praeterea mutatio subiecti in tertio versu displicet, praesertim quum in quinto ad Carthaginienses transitus fiat. His addas, sextum versum quantum ad metrum attinet pessimum esse, quod in duas aequales partes divisa sit. Hae rationes et causae me induxerunt, ut de auctore illorum versuum arbitrer dubitari posse; quanquam versus ipsos Ennii ingenio non indignos puto. Nam, si Ennii non sunt, videtur mihi auctor quisquis fuit Ennium satis feliciter imitatus esse.

---

11) Miror, eum de nobili illa Poenorum clade ad Aegateis insulas accepta non cogitasse, ad quam maxime aliquis Calpurnii fragmentum referre poterit. Conf. Liv. XXII, 54.

65. . . . . . . *Percolsei pectora Poinei.*

(V. Mer. p. 19. 423). Hoc fragmentum debet Merula Columnae p. 148; id referendum esse ad descriptionem belli Punici I. aut II. propter argumentum probabile est; cur huc potissimum referendum sit, non intelligo.

66. *Tonsilleis rapide confeigunt littus adunceis.*

*

Navibus explebant sese terrasque' replebant.

(Vid. Mer. p. 19. 423 sq., conf. Col. p. 133). Utrumque versum incerti Annalium libri statuo. Alterum Merula huc retulit secutus Glossarium Fornerii exhibens, Ennium in libr. 7. scripsisse *explere* (ἀποθάλλειν)[12]. Sed nonne bis et saepius Ennius verbo *explere* uti potuit?

67. . . . . . . *Evax' st*

Aspis ab Attilio . . . . . .

(Vid. Mer. p. 19. 424). Sumptum est hoc fragmentum e Sosip. Charis. lib. II, p. 213. Putsch., ubi haec leguntur: «*Euax* Plautus in Bacchidibus, *Euax aspersisti aquam*; Ennius quoque Annalium l. IV. *asper a Latinis*». E Charisii verbis id solum colligi licet, Ennium in IV. Annalium verbo Euax usum esse. Sed id ipsum

---

12) Quomodo ἀποθάλλειν *explere* significare possit, non intelligo.

statuere dubium videtur, si Merulae fidem habemus, qui in codice vetere Iani Dousae exstare dicit: «Ennius quoque Annalium liber: *aquas istas per litum*»; Merula legendum statuit: *Ennius lib. VII:*

. . . . *evax' st*
Asper ab Attilio . . . .

quae coniectura quomodo aliis placeat nescio, mihi non probabilis videtur.

68. . . . . . *ratibusque fremebat*
Imber Neptuni . . . .

(Vid. Mer. p. 19. 426). Fragmentum deest Columnae. Servius ad Aen. XI, 299: «[*fremunt ripae:* antiqui *aquae sonitus, fremitus* dicebant, Ennius: *ratibusque fremebat imber Neptuni*]»; haec verba fortasse ex notis ad Georg. I, 12. adscripta sunt, ubi aliud quoque Ennii fragmentum exstat: *ager oppletus imbrium*. Illud Ennii fragmentum haud dubie incerti Annalium loci est.

69. . . . . *furentibu' venteis*.

(Vid. Mer. 19. 427. Conf. Col. p. 146). Merula l. c.: «quo pertineat (fragmentum), praecedentis fragmenti historia indicat». Sed qui talibus fragmentis certum locum indicat, cur non idem omnia incerta Annalium fragmenta in certum locum referre possit non intelligo.

70. . . . . *moltiplicant Romanei funera*
late,

Qua Pollus furtim noctu summâ arcis
adortus,
Moinia, concubia, vigilesque repente cruen-
tant.

(Vid. Mer. p. 20. 433 sq.). Duos posteriores versus habet Columna p. 73. Exstant apud Macrobium I, 4: «Ennius lib. I:

Qua Galli furtim noctu summa arcis
adorti.
Moinia, concubia, vigilesque repente cruen-
tant».

Priora Merula sumpsit e Glossario Fornerii: «φόνευσις, funus, caedes, Ennius:

. . *multiplicant Romani funera late*
Quam pullus furtim noctu». . .

Nisi haec Glossarii verba haberemus, non dubitarem, illos versus ad descriptionem belli Gallici, quod gestum est a. 516—532, referre; alia est Columnae sententia; conf. eius Comment. p. 73. Sed de Gallis hoc loco non cogitandum esse iudicavit Merula illo Glossario edoctus, cui si fides est, fragmentum ad a. 504. pertinet. Vid. Mer. l. l.

71. *Bello Punico secundo Iuno placata coepit favere Romanis.*

(Vid. Mer. l. VIII. p. 21 et 450). Merula unde haec habeat non suo loco, sed ubi id minime expectes indicavit; illud omittere non debuit; nam scimus, quantopere vel doctos viros ea

negligentia, quae fontes rerum non indicet, vexare possit. Exstant verba apud Servium ad Aen. I, 281: «quia bello Punico secundo Iuno placata (ut ait Ennius) coepit favere Romanis». Quae quum ex parte ipsius Ennii verba sint, Merulae ea fragmentis de bello Punico secundo servatis praeponenti accedere non dubito. Miror Columnam ea in metrum digerere conatum esse, v. eius Comment. p. 149.

72. *Optuma Coilicolum Saturnia magna Dearum.*

(Vid. Mer. p. 21 et 449. Conf. Columm. p. 151). Hunc versum incerti Annalium libri statuo.

73. *Marsa manus, Peligna cohors, festeina virum vis.*

(Vid. Mer. 21 et 452. Conf. Col. p. 150). Merula fragmentum ad bellum Punicum II. retulit; verba eius haec sunt: «Annibal interim ex Etruria per Umbriam et Picenum, Marsis et Pelignis vastatis, in Apuliam venit». Mihi verisimilius videtur cogitare hoc loco de Marsis et Pelignis a Romanis deficientibus a. 445. U. c., conf. Liv. IX, 41; quod alterum si statuerimus, versus adscribendus erit fragmentis libri quinti.

74. *Iamque fere polvis ad coilum vasta videtur;*
Folva volat. . . . .

(Vid. Mer. 22. 474). Exstat fragmentum apud Nonium Marcellum c. 11, §. 157. s. v.

pulvis, p. 217. Mercer.: «*pulvis* generis masculini, ut saepe: feminini, Ennius l. 8. Annalium: iamque fere pulvis ad coelum vasta videtur. Idem l. 9: iamque fere pulvis fulva volat». Merula Glossema sibi sapere ad finem non pauca dicens legendum statuit:

Iamque fere polvis ad coilum vasta videtur;
Folva volat . . . .

Nec recte ut perspicue docent verba Nonii. Merula in errorem inductus est, quod legit aut fortasse legisse se putavit *idem lib. VIII;* utrumque fragmentum Columna habet p. 81, sed idem eo errat, quod alterum quoque libro octavo adscripsit.

75. . . . . . . *stant polvere campei.*

(Vid. Mer. p. 22. 474 sq.). Fragmentis incerti Annalium loci adscribendum; conf. Col. p. 145.

76. *Heis pernas succeidit ineiqua superbia Poini.*

(Vid. Mer. p. 22. 476). Fragmentum huc referendum esse argumentum arguit; conf. Col. p. 134.

77. . . . . *crateribus ollei*
Ex aurateis hauserunt . . . . . . :

(Vid. Mer. p. 22. 477). Exstat hoc fragmentum apud Censorinum p. 2727. Putsch., ubi afferuntur versus partim integri (ut Virgilii), partim mutati (ut ex illo Horatii: *metuentes*

patruae verbera linguae particula *nunc* ter adiecta efficitur: *nunc metuentis nunc patruae nunc verbera linguae*), partim versus et versuum particulae incerti auctoris. Censorinus igitur l. c. versum illum omisso auctoris nomine exhibet hoc modo:

Olli crateribus ex auratis hauserunt.

Merula qui aliis locis satis verbosus est, l. c. sententiam suam probare non conatus est, sed I. Dousam secutus versum certo Ennianorum Annalium loco adscripsit, eumque ita disposuit, ut aliquis eum ex Annalibus sumptum esse suspicari possit. Sed transpositione non opus aut potius abstinendum est, quum minime constet, versum esse Ennii Annalium; itaque equidem illud fragmentum Ennii esse nego, donec, qui Dousam et Merulam sequi volunt, idoneum sententiae suae auctorem aut rationem satis probabilem attulerint.

78. *Brutates . . . . bilingues.*

(V. Mer. p. 23. 479. Col. 327). Festus p. 29: «*Bilingues Brutaces* [13]) Ennius dixit, quod Bruttii et Osce et Graece loqui soliti sint. Sunt autem Italiae populi vicini Lucanis». Scalig. ad Festi l. c. p. 350: «*Bilingues*: lego *Brutiates*, non *Brutates*. Apud Porphyrionem tamen ve-

---

13) Müller l. l. p. 35: *Bilingues Bruttates* Ennius dixit, quod Brútti cet.

terem Horatii interpretem legitur *Brutaces* (ad Hor. Serm. I, 10, 30)». Dacerius statuit, fragmentum esse sumptum ex Ennii Satir. l. VIII; utrum huius an Merulae sententia praeferenda sit, vix quisquam diiudicare poterit. Mihi videtur praestare, talia intentata relinquere.

79. *Quintu' pater quartum fit Consol.*

(Vid. Mer. p. 23. 480. Conf. Col. 145). Merula fragmentum retulit ad a. 539, quod quam incertum sit, intelligi potest ex ipsius Merulae verbis: «Fuerunt et alii anni, qui Consules habuerunt Quintos quartum, ad quos non tam dextre referri haec possent».

80. *Cum magno strepitu Volcanum ventu' vegebat.*

(Vid. Mer. 23. 481. Conf. Col. 134). De huius quoque fragmenti loco certi quidquam proferri vix poterit; Merulae sententiam aliquam probabilitatis speciem habere negari nequit.

81. . . . . . . *de moeris res gerit Opscus.*

(Vid. Mer. p. 23. 483. Conf. Col. p. 146). Figura inest in fragmento, quam Synecdochen vocant, quum unus pro multis dictus sit; exstat testantibus Merula et Columna apud Festum s. v. *oscum*; nam fidem habeo hac in re Merulae, quanquam ipse fragmentum illud apud Festum non inveni. Iam quum *Opscus* idem sit quod *Oscus* et *Opicus* (v. Fest. p. 113 et 191) et Servius ad Aeneid. VII. dicat, Capuenses an-

tea Opicos appellatos esse, Merula inde consequi putavit, *Opscum* apud Ennium significare *Capuanum*, ut fragmentum de *Capuae* oppugnatione intelligendum esset. Mira sane conclusio. Vide quam absurde dicatur *Latini antea Osci appellati sunt*, ergo *Oscus idem est quod Latinus*, et tamen hoc illi, quod Merula iudicavit simile esset. Non solum Capuenses nominatos esse Oscos nunc satis notum est; v. Niebuhr. Hist. Rom. I, 65 sqq.

82. *Livius inde redit magno mactatu' triumpo.*

(V. M. lib. IX, p. 23. 489 sqq.). Versus Columnae deest. Servius ad Aen. IX, 643 (edit. Burm., 639 ed. Lion.): «ut Ennius: Livius inde redit magno mactato triumpho». M. Livium Salinatorem intelligendum et fragmentum huc referendum esse admodum probabile est.

83. *Vel tu Dictator, vel Equorum Equitumque Magister*
Esto, vel Consol. . . . . .

(V. Mer. p. 24. 499. Conf. Col. p. 134). Festus p. 159 sq. *vel*: «*vel* colligatio quidem est disiunctiva, — ut Ennius:

Vel tu» cet. Merula hoc fragmentum quasi de eius loco dubitari non posset huc retulit; id vero iusto audacius; nam idem aliis quoque locis apte inseri poterit.

84. . . . . *affatur Flamininum*

Ille vir, haud magna cum re, sed plenu' fideei.

(V. Mer. lib. X, p. 25. 503 sq.). Citantur hi versus apud Ciceronem omisso auctoris nomine de Senectute c. I init.:

« *O Tite, si quid ego adiúro curamve levasso,*
Quae nunc te coquit et versat in pectore fixa,
Ecquid erit praemí?

Licet enim mihi versibus eisdem affari te, quibus affatur Flamininum:

Ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei,

quanquam certo scio, non, ut Flamininum,

Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque».

Ipsa oratio et verba faciunt, ut Merula non immerito hosce versus Ennii Annalibus tribuisse videatur; sed idem verba *affatur Flamininum* Ennii esse statuit, quum probabilius videatur, ea Ciceroni tribuere [14]). Quae altera eadem est sententia editorum tantum non omnium et confirmatur nonnullorum codicum lectione *adfatur Flaminium*, quippe quod metro repugnaret. Gernhardi sententiae accedere non possum, qui Ciceronem haec verba ab Ennio alii cuipiam tributa ad ipsum Ennium transtulisse statuit. Columna p. 140. versum exhibuit hoc modo:

. . . *ille vir haud magna in re*

---

14) Nam Ennium verbi *Flamininum* primam syllabam natura productam corripuisse vix possumus statuere.

Sed fidei plenus. . . . .

Non recte, ut mihi videtur; nam quum teste Beda (v. Col. l. l.) *fidei* penultima proprie producatur, nihil obstat, quominus Merulae dispositionem versus retineamus. Hoc fateor, me nescire num ullum e poetis huic Bedae sententiae accedat veritatis indicium. De loco fragmenti dubito, quum non constet, quis apud Ennium Flamininum adlocutus sit. Pertinere fragmentum ad descriptionem belli Macedonici I, paene certum est.

85. *Egregie cordatus homo, Catus Aeliu' Sextus:*

(Vid. M. p. 25. 505). Versum in hunc librum referendum esse dubitari nequit; v. Col. p. 128, quem miror tales quoque versus fragmentis incerti Annalium loci adscripsisse, quibus ab ipso edocti certum indicare possumus.

86. *O Tite, sei quid ego adiuro, coiramve levasso,*
Quai nunc te coquit, et vorsat sub pectore fixa;
Et qua deprimeris frustra nocteisque diesque:
Ecquid erit praimi? . . . .

(Vid. Mer. 25. 508). De loco fragm. vid. Col. p. 140; conf. ad fragm. 84. Versus tertius qui optimis codicibus deest, procul dubio interpolatus est.

87. *Tunc coipit memorare simol cata dicta...*

(Vid. Mer. 25. 510 sq.). Fragmentum Co-

lumnae deest; servatur apud Varronem de L. L. VI, p. 74. 3 sqq.; quem locum etiam Columna p. 28. affert, non suspicans ibi latere fragmentum Ennii. Varronis verba haec sunt: «Apud Ennium, iam cata signa fere sonitum dare voce parabant. Cata, acuta. Hoc enim verbo Sabini dicunt. Quare Catus Aelius Sextus, non (ut aiunt) sapiens, sed acutus, et quod est, tunc coepit memorari. Simul cata dicta, accipienda acuta dicta.» Ios. Scaliger legendum statuit: «et quod est: — Tunc coepit memorare simul cata dicta accipienda acuta.» Mihi potior videtur Merulae emendatio, qui scribendum putavit: «Cata acuta. Hoc enim verbo Sabini dicunt gnara.

. . . Catus Aeliu' Sextus:
non (ut aiunt) sapiens, sed acutus: et quod est:
Tunc coipit memorare simol cata dicta. . .
accipienda acuta dicta». Quanquam vel hac coniectura res nondum plane videtur ad liquidum perducta. Sed equidem quod rectius non novi in re maxime dubia ab omni coniectura putavi mihi abstinendum esse. Fragmentum ipsum ad verba Aelii pertinere potest.

88. *Sollicitarei te Tite sic nocteisque diesque.*

Conf. ad Fragmt. 84.

89. *Contendunt Graicos, Graios memorare solent sos;*

Quod Graica lingua longos per tempori' tractus
Hos pavei. . . . .

(Vid. Mer. lib. XI, p. 26. 525 sq.). Priorem versum Columna p. 96. habet, sed aliter scriptum. Exstat apud Festum p. 141; conf. p. 242. Altera fragmenti pars sumpta est ex eodem Festo p. 235. In Festi verbis ingens lacuna est, quam implere conati sunt Ios. Scaliger et Ursinus; hic priorem tantum versum Ennio restituit, ille Merulae praeivit. Vid. ad Fest. l. l. Ursinum Columna secutus est.

90. *Rima///.* . . . . *utrique.*

(Vid. Mer. p. 27. 532). Apud Festum p. 230. est: «*Rimari* quaerere valde, ut in rimis quoque. . . . Ennius l. XI. . . . virique». Columna p. 97. habet: *utrique.* . . . . Qua ratione in Festi loco supplendum quidque inde in Annales referendum sit, pro certo dici nequit. Hoc tamen constat, si quid Ennii inest in loco Festi, non *utrique* sed *virique* inde sumendum esse; et possis suspicari, hoc verbum in fine versus Ennii stetisse.

91. *Alta elata specus, petreisque ingentibu' tecta.*

(Vid. Mer. p. 27. 532 sq.). Exstat versus mutilatus apud Festum p. 196: «*Petrarum* genera duo sunt, quorum alterum naturale saxum prominens in mare, cuius Ennius meminit l. XI:

Alte delata, ceterisque ingentibus tecta». Restituit versum Scaliger p. 561. Miror Columnam p. 96. non versum a Scaligero restitutum sed mutilatum illum: *Alte delata petreisque ingentibu' tecta* recepisse.

92. *Quamde. . . . . .*

(Vid. Mer. l. XII, 27. 584). Columnae deest. Ennium hoc verbo usum esse in Annalium XII. testatur Festus l. XV. s. v.

93. *Pontibus instrateis coniunxit littora Xerxes,*

*

Isque Hellesponto pontem contendit in alto.

(Vid. Mer. l. XIII, p. 27 et 537. Conf. Col. p. 129 sq.). Prior versus servatur apud Terentianum, Bedam, Sergium in Aelii Donati Comment. absque auctoris nomine, posterior apud Varronem addito Ennii nomine, vid. Merula et Columna ll. cc., qui non immerito utrumque versum coniungendum et in Annales referendum statuunt; ei enim opinationi magna probabilitatis species quum ab ipsa sententiae ratione, tum a dictione, quae in his versibus est, videtur accedere. Ut fragmentum huc referendum statuam, suadent mihi, quae Merula p. 537. attulit.

94. *Ut patefecerunt Fruges. . .*

(Vid. Mer. lib. XIV, p. 28. 542). Col. p. 329. fragmentum ex incerto libro statuit. Certe nullum in eo indicium est, unde id in Annales

referendum esse coniici possit; imo verisimilius est, propter metrum, esse fragmentum e tragoedia aut comoedia, quam sententiam meam haud parum confirmat Scaligeri auctoritas. V. Mer. l. l.

95. *O patria, o Divom domus Ilium, et incluta bello*
Pergama. . . . .

(Vid. Mer. p. 28. 543 sq.). Fragmentum sumptum est e Servio ad Aen. II, 241 sq.; Columna p. 140. versum integrum omisso verbo *Pergama* in fragmentorum collectionem recepit, eumque esse incerti Annalium loci, ut videtur, recte iudicavit; nam versus aut totus Ennii est aut ei, quem Ennius scripsit, simillimus. Merula Virgilii verba mutavit et mutata certo Annalium loco collocavit, cuius audacissimae coniecturae quae causae afferri possint non facile dicas. Itaque eum ipsum audiamus. «Servius, inquit, ad illud. Virg. II. Aeneidos:

O patria, o Divum domus Ilium, et incluta bello
Moenia Dardanidum. . . .

versus, inquit, *Ennianus*. An ad verbum ex Ennio, incertum. *Moenia Dardanidum* . . . autem, quae apud Virgilium, mutavi ego, fidentius fortean, in:

Pergama. . . . .

non alio fini, quam ut tenacius copularentur haec cum aliis, quae de Pergamis ab Ennio

scripta notat Macrobius l. VI, Saturn. cap. 1: *Quae neque*» cet. Videas hic, quam parum Merula sibi constet, quum alias statuerit, *versus Ennianos* esse versus ex Ennio sumptos. Ipsam mutationem iusto audaciorem esse, nemo negabit.

96. . . . *succinctei corda machaireis.*

(Vid. Mer. l. XV, 29. 549. Conf. Col. p. 148). Merulae argumentatio, qua fragmentum huc referendum docet, admodum probabilis est.

97. *Istri duo in obsidione erumpunt portam, et stragem de obsidente hoste faciunt.* (Vid. Mer. 29. 550). Exstant haec verba apud Macrobium l. VI, c. 2; Macrobius ibi in eo versatur, ut ostendat, Virgilium ex antiquis Latinis poetis multos locos aut integros aut paucis admodum immutatis transtulisse. Verba Macrobii haec sunt: «Item de Pandaro et Bitia aperientibus portas, locus acceptus est ex libro quinto decimo Ennii, qui induxit Histros duos in obsidione erupisse portam, et stragem de obsidente hoste fecisse». Quum quibus id verbis Ennius conceperit non constet, ipsius Macrobii verba indicato Annalium libro aut praeponenda aut postponenda existimo. Columna Macrobii verba non attulit; videtur tamen citans Macrob. 6, 3. ea ante oculos habuisse.

98. *Foluiu' Nobilior stravit certamine crebro*
Aitolos. . . . .

(Vid. Mer. p. 29 et 551 sqq.). Fragmentum deest Columnae; exstat teste Merula in Glossario Fornerii: «ἀποκτείνω, sterno. Ennius:

Fulvius nobilis obstravit certamine cerebro
Et illos. . . . . . .

Mira sane corruptio, quae Merulae latum campum, in quo se exerceat, extendit. Fulvius Nobilior, cui praenomen erat Marcus, fuit Aedilis curulis, Praetor, Consul, eique provincia Aetolia evenit. V. Liv. l. XXX, 42; XXXIV, 54 sq.; XXXV, 22; XXXVII, 47 all.; idem Ennio comite cum Aetolis bellavit a. 565. teste Cicerone pro Arch. p. c. XI. extr. Si fides est Glossario illi, fragmentum suo loco collocatum est; constat enim praecedere descriptionem belli Punici II, et sequi Caeciliorum laudes; v. ad fragm. 50.

99. *Regiaque Aimilia vecta trophaea rate.*
Vid. ad frgm. 24.

100. . . . *Cretenses.* . . (Vid. Mer. p. 29. 556; conf. Col. p. 329). Sos. Charis. I, p. 99, 32: «Cretam Cicero Tusc. disp. l. II. *Cretam legis. Cretenses* Ennius, ut Varro l. I. de sermone Latino scribit». Fragmentum esse incerti loci verbo tantum moneo.

101. *Vim tua noluntas facit imperiossa, vetando,*
Quem Consol meruit, quom res bene gesta, triumpum.

(V. M. lib. XVI, p. 30. 563 sq.). Calpurnii teste Merula haec sunt: «Vehementissime apud Ennium tonat Clodius Pulcer in M. Aebutium Trib. plebis, quum prohiberet triumphum, quem ob res in Graecia praeclare gestas decreverat magno consensu Senatus, accusans etiam Manilium. Inter alia:

Vim tua noluntas facit imperiosa vetando,
Quem Consul meruit, quum res bene gesta,
triumphum.

Ex effectu haec Ennius scripsit in gratiam sui Fulvi, non ex veritate». Teste Livio l. XXXIX, 4 sqq. M. Fulvio proconsuli ex Aetolia redeunti a. 566. *ob rempublicam bene ac feliciter administratam* triumphus decretus est, quem M. Aebutius morari conatus est. Has res Ennius haud dubie Annalium l. XV extr. descripsit. Cur Merula *M. Aebutium* in *M. Aburium* mutaverit, non intelligo; pro *Manilium*, *M. Aemilium* legendum esse recte statuit. Si versus illi Ennii sunt, *consul* pro *proconsul* positum statuendum erit.

102. *Hos pestis necuit, pars occidit illa duelli.*

(Vid. M. p. 30. 569. Conf. Col. 142). *Duelli* sine dubio impressorum culpa pro *duellis*. Fragmentum esse Ennii Priscianus l. IX. testatur; apte huc refertur, quod a. 572. teste Livio XL, 19. magna Romae pestilentia fuit.

103. . . . *virosque valenteis*

Contudit crudelis Hiems. .

(Vid. Mer. p. 31. 378; conf. Col. p. 119). Fragmentum incerti Annalium libri est. Merula, ut ipse profitetur, *ne certa sede careret, huc id audacius adscripsit!*

104. . . . *Grumarei.* . .

(V. M. lib. XVII, p. 31. 580). Columnae deest; Non. Marcellus p. 63: «*Grumae* sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur et conveniunt viae. Est autem gruma mensura quaedam, qua fixa viae ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum et talium. Ennius l. XVIII. gruma dirigere dixit, degrumari ferrum. Lucilius l. III: viamque Degrumabis, ut castris mensor facit olim»; ad quem locum Mercerius p. 667: «*grumae*] gruma est groma, sive γνώμη. In Ennii loco libri nostri, *gruma dirigere*; mox verisimillimum quod visum viro docto, *degrumari vero Lucilius*; nam in ipso scribendum *degrumabis*»; itaque sine dubio *gruma dirigere* Annalium l. XVIII. adscribendum.

105. *Quum septimum et sexagesimum annum ageret, duodevicesimum Annalem scripsit, idque poeta in eo libro dicit.* (V. M. l. XVIII, p. 32. 598 sqq.; conf. Col. p. 98). Gellius N. A. XVII, 21. p. 416 sq. Conrad.: «quibus (Q. Valerio et C. Mamilio coss.) natum esse Q. Ennium poetam M. Varro, in primo de poetis libro, scripsit; eumque quum septimum et

sexagesimum annum ageret duodecimum Annalem scripsisse, idque ipsum Ennium in eodem libro dicere». Merula numerum libri Enniani corruptum esse et pro *duodecimum* scribendum *duodevicesimum* statuit primum propter verbum *addidisse*, quae nobis nulla causa est, quum optimos codices secuti legamus *scripsisse*. Quae quum ita sint, unam tantum sed infirmissimam mutationis causam a Merula allatam video, Ennium septuagenarium triennio deficiente librum XII. scripsisse. At facile intelligitur, hanc causam non magni esse momenti. Nam nihil obstat, quominus Ennium provecta demum aetate Annales in lucem protulisse statuamus.

106. *Sic ut fortis equus, spatio quei saipe supremo*
Vicit Olumpia, nunc senio confectu' quiescit.

(Vid. Mer. 32. 600 sq.; conf. Columu. p. 126 sq.). Fragmentum esse Ennii Cicero de Senectute c. V. testatur, nec dubium est, quin Annalibus adscribendum sit; et quanquam eius locus per se incertus est, quum nec Cicero nec aliud indicium quo referendum sit declaret, tamen admodum probabilis mihi videtur eorum sententia, qui Ennium in Annalium l. XVIII. non tam res a populo Romano gestas quam vitam suam descripsisse ideoque fragmentum huc referendum esse statuerint.

107. *Omnes mortales sese laudarier optant.*

(Vid. Mer. p. 32. 601. Conf. Col. p. 144). Exstat versus apud Augustinum libro XIII, de Trinitate hoc modo scriptus:

Omnes mortales sese laudari exoptant.

Merulae mutatio mihi non probabilis videtur propter alterum versum ab Augustino ibi allatum. Ceterum versum ipsum huic libro adscribendum puto.

108. *Assectarei omnes cupiunt.* . .

(Vid. M. p. 32. 601. Conf. Col. p. 326). Utrum hoc fragmentum Annalibus adscribendum sit necne, incertum est. Citatur a Prisciano suppresso libri nomine.

109. *Nos sumu' Romanei, quei fuvimus ante Rudaiei.*

(Vid. Mer. pag. 32. 601. Conf. Col. 144). Citatur versus non addito libri nomine apud Ciceron. de Orat. III, 42. Loquitur de se Ennius praedicans acceptae civitatis Romanae beneficium; fragmentum haud dubie in hunc librum referendum est.

110. . . . . *aliei Retorica tongent.*

(Vid. Mer. 33. 602. Conf. Col. p. 185). Festus p. 272.: «*tongere*: significat et latius dominari, Ennius: *alii rhetorica tongent.*» Columna l. c. fragmentum putat esse ex Ennii Sotadico, quae eadem est Scaligeri sententia; et videtur certe Jonicis numeris scriptum esse. Merula Glossarium Fornerii secutus fragmentum Anna-

lium l. XVIII. adscripsit; Glossographi haec sunt: «*tongere*, *εἴδειν*. Ennius in XVIII»; sed ex hoc loco non necessario consequitur, fragmentum illud esse ex Annalium l. XVIII.

111. . . . . *sanctosque poetas*.

(V. M. p. 33. 602. Conf. Col. p. 147). Cicero pro Arch. p. c. VIII: «Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur». Si quis ex hoc loco colligit, Ennium in Annalibus poetas sanctos appellasse, non admodum refragabor, sed eundem ipsis verbis *sanctos poetas* in Annalium l. XVIII. usum esse, inde vix colligi poterit.

Quae hucusque enumerata sunt Ennii fragmenta Merula eius Annalibus adscribenda arbitratus est. His igitur absolutis videndum iam est de iis fragmentis, quae a Merula primum incerta Annalium putata sunt.

CAPUT II.

De Ennianis fragmentis a Merula primum Annalibus adscriptis.

1. *Indignas turreis* . . . .

(Vid. M. p. 34. 607. Conf. Col. 326). Servius ad Virg. Eclog. X, 10: «*indigno* vel meretricio, vel magno: nam et Ennius ait *indignas turres*, id est, magnas». Fragmentum est loci

incerti; nam ea fragmenta, quae nec tituli nec argumenti aut metri ratione cuius sint loci indicant, fragmentis incerti loci adscribenda sunt.

2. . . . *proterviter* . . .

(Vid. Mer. 34. 608. Conf. Col. 331). Priscian. l. XV, p. 1010, 34. postquam nonnulla adverbia terminantia in *e* et *iter* attulit, addit, inveniri *nonnulla* alia (in *ter*), quibus non sit utendum. «Ennius: proterviter, ignaviter, inimiciter, iracunditer, superbiter, praeclariter, torviter, puriter, reverecunditer, miseriter, prosperiter». Quae omnia Merulam Annalibus non adscripsisse miror; nam nullus videtur temeritatis modus. Columna l. c. adverbia illa fragmentis incert. libr. adscripsit. Mihi potius in tragoediis et comoediis quam in Annalibus videntur locum habuisse.

3. *Nec dico* . *nec facio* . . .

(Vid. Mer. p. 34. 608). Col. p. 330. fragmentum e Donati Comment. in Ter. Andr. III, 2, 25. sumpsit. Columnae verba haec sunt: Donatus enarrans Terentian. illud:

— *itaque hercle nihil iam mutire audeo*

refert hunc Ennii locum, sed decurtatum arbitror in vulgatis exemplaribus. Nam legendum est, *nec dico, nec facio mu:* quod ex sequentibus Donati verbis patet, cum ait: *unde et mutos dicimus*, quod Graeci *μύειν*». Columnam hoc loco Ennii fragmentum docte supplevisse Merula profitetur; cur eundem fragmentum

illud incerti loci statuentem non secutus sit, addere omisit.

4. . . . *rigido* . . .

(Vid. Mer. pag. 34. 608). Col. p. 330. habet: — *rigido tum caerula suro.* Fragmentum sumptum est e Festo, cuius locum huc pertinentem supra ad fr. 30. adscripsimus. Nulla autem ut hoc addamus, Merulae fuit causa, cur hoc fragmentum tam anxie Annalibus tribueret.

5. . . . . *ad illa reddita nuptam.*

(Vid. Mer. 34. 608). Columnae fragmentum deest; exstat apud Servium ad Aeneid. III, 333: «*reddita.* [quomodo reddita? Cum constet Helenum fuisse Troianum, nec de Graecia ullam habuisse partem, *reddita* ergo] more veteri pro *data* accipiendum, *re* ergo abundat. Ennius in Annalibus: *ut Ilia reddita nuptum*». Pro *Ilia* Dan. habet *illa.* Quum lectio *Ilia* optimorum codicum auctoritate nitatur, *illa* a codicibus minus commendetur, de loco fragmenti vix dubitari potest. Cogitandum est enim de Romuli Remique matre; itaque fragmentum primo Annalium libro adscribendum.

6. *In templeis isdem* . . .

(V. M. 34. 607. Conf. Col. p. 329). Fragmentum citat Cicero Orat. 47. suppresso opere: «*Idem campus habet*, inquit Ennius, et: *in templis isdem*, probavit, at *eisdem* erat verius, nec tamen *eisdem* opimius». Nonne videtur

Merula hoc fragmentum et plurima alia Annalibus adscribens prorsus oblitus esse, quod in fronte horum fragmentorum promisit, scilicet se non nisi ea fragmenta allaturum, quae *putata certe pertinere ad Annales?* Undenam tandem *putare* aliquis potest, fragmentum illud Annalibus adscribendum esse?

7. *Aut permaceret paries percussu' trifacei.*

(Vid. Mer. p. 34. 609). Servatur hoc fragmentum a Festo p. 156: « *Trifax* telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur. Ennius: *Aut permaceret paries percussus trifaci* »; fragmentum propter metrum in Annales referri non posse Columna intellexit, qui p. 306. id in fragmentis ex incerta tragoedia aut comoedia sumptis habet. Equidem eum sequor, sed in disponendo versu a viro ingenioso in alia discedo; nam mihi ita disponendus videtur:

v — v — v — v aut permaceret
Paries percussu' trifaci v — v —

Sed unam difficultatem non celabo, scilicet primam syllabam verbi *trifaci* natura correptam esse. Correpta syllaba prima verbi *permaceret* neminem offendet, quum eae correptiones neglecta positione consonantium frequentissimae sint apud Latinos poetas scenicos.

8. . . . . *nec retrahei* . . . *potestur*
Imperieis . . . .

(Vid. Mer. 34. 609. Conf. Col. p. 307). Fragmentum exstat apud Diomedem l. I, p. 380 fin.: «Item potestur apud Ennium reperimus: *nec retrahi potestur imperiis*». Columna fragmentum tragoediae aut comoediae putavit; et recte videtur iudicasse, nam metrum eius certe trimetro iambico magis quam hexametro convenit. Versus igitur ita disponendus est:

Nec retrahi potestur imperiis ᴗ —.

9. . . . . *frunde frutimei*
Suaviter . . . . . .

(Vid. Mer. p. 34. 609 sq.; conf. Col. 305). Varro de L. L. p. 81, corruptissime: «Multa ab animalium vocibus translata in homines: *et a frendice*, *Frunde frutimi suaviter*». Tentabat Scaliger p. 156: «eiusdem (Ennii) ab irundine — *nefrende fritinni suaviter*» explicans *nefrendem* de puero qui dentibus frendere non potest. Ingeniosa sane coniectura viri acutissimi, quam si probamus, fragmentum optime in Annalibus locum habere potest.

10. *Iracunditer* . . . . V. ad fr. 2.

11. *Inde Parum* . . . |||*ulabant*.

(V. M. p. 35. 610). Fragmentum Columnae deest. Festus p. 235: «*Inde Parum per caerula navibus ambullabant*»; conf. supr. p. 36.

12. . . *topper quam nemo melius scit*. (V. M. p. 35. 610. Conf. Col. p. 330). Festus p. 153: «*Topper* cito, ut illud Nelei:

Topper fortunae commutantur hominibus»; id. p. 269: «*Topper* significare ait Artorius cito, fortasse, celeriter, temere: — *topper* fortasse valet in Enni et Pacuvi scriptis. Apud Ennium est: *topper quam nemo melius scit*». Fragmentum loci incerti est; metrum hexametrum non olet; Scaliger quoque, quod ipse Merula profert, id non ex Annalibus sed aliunde sumptum existimavit.

13. . . . *superbiter* . . . V. ad. fr. 2.

14. *Cum legionibu' quom proficiscitur Endoperator.*

(Vid. Mer. p. 35. 601). Exstat versus apud Cassiodorum de Orthographia c. 10, p. 2318. addito Ennii nomine sed suppresso libro; adscribendus est Annalium fragmentis incerti loci. Miror, eum Columnae diligentiam fugisse.

15. *Ambactus* . . . .

(Vid. Mer. p. 35. 611. Conf. Col. p. 329). Festus p. 4: «*Ambactus* apud Ennium lingua Gallica servus appellatur». Quid significet ambactus, multis verbis exposuit Scaliger ad Fest. p. 304; quo referendum sit fragmentum, incertum est.

16. *Iamque fere quatuor partum* . . .

(Vid. Mer. p. 35. 612). Fragmentum Columnae deest. Sosip. Charis. I. de Analog. p. 114: «et Ennius: *iamque fere quatuor partum*».

Fragmentum propter metrum Annalibus videtur adscribendum esse.

17. . . . . . . *sospite liber.*

(Vid. Mer. p. 35. 612). Fragmentum Columnae deest. Fest. p. 141: *sospes* salvus Ennius tamen sospitem pro servatore posuit». Et id. p. 243: «Ennius in . . . *parentem et patriae di servate sospitem* . . . Ennius dicit: *quo sospite liber*»; prius fragmentum Columna p. 306. fragmentis incertae traegoediae aut comoediae recte adscripsit; alterum haud dubie Annalium est.

18. *Illi est nugator nihilei non naucei homo.*

(Vid. Mer. 35. 612. Conf. Col. p. 310). Festus p: 179: «sed Ennius: *illuc* (Ursin. coniecit *illic*) *est nugator nihili non nauci homo*». Vix cuiquam dubium esse potest, versum esse tetrametrum troch. catal., cui tres syllabae exciderint, et ita disponendum:

Illic est nugator nihili — v — non nauci homo.

19. *Surremsit* . . . . . .

(Vid. Mer. p. 35. 613). Fest. p. 140: «*Surrempsit* sustulerit»; idem citato loco Ennii: «*Inque manu surremit hastam*: idem *Surrepsit* usurpavit pro pueros sustulit», e lectione Ursini.

20. *Propter stagna, ubi lanigerum genu' piscibu' pascit.*

(Vid. Mer. p. 35. 613). Servatur hoc fragmentum a Festo p. 45: «*Cyprio bovi merendam* Ennius Sotadico versu quum dixit, significavit id, quod solet fieri in insula Cypro, in qua boves humano stercore pascuntur. Idem quum dicit: *Propter stagna, ubi lanigerum pecus pascitur,* esse paludem demonstrat, in qua nascuntur pisces similes ranunculis, quos oves consectatae edunt». Alterum Ennii versum non ex Annalibus sumptum esse et metrum [1]) et quae Festus ei praemittit videntur velle; et sine dubio Columna p. 185. iam recte vidit, utrumque fragmentum ex Asoto Ennii desumptum esse; neutrum enim numeris Ionicis repugnat. Conf. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 454 sqq. Eadem fuit postea Merulae sententia, v. p. 613. Itaque errat Planckius, qui in edit. Ennii Medeae p. 5. Merulam falso illud fragmentum Annalibus tribuendum statuisse pronuntiavit. Planckii libro omnino caute utendum esse, quasi praeteriens hoc loco moneo; idem enim in fine Commentar. ad Med. nonnulla Ennii fragmenta tanquam hactenus omissa attulit, quae ex parte eadem apud Columnam leguntur.

21. . . . *redinunt.*

---

1) Müller l. l. p. 59. *piscibus,* quod omittit Lind., esse in ed. vet. Ald. vg., *pascitur* corruptum et versum esse heroicum forma eius e codd. restituta scribit.

(Vid. Mer. p. 35. 615). Col. p. 330. habet: . . . . *redinunt in patriam* et recte haud dubie, nam apud Festum p. 138. est: «redinunt significat redeunt, Ennius . . . *redinunt in patriam*»; fragmentum est loci incerti.

22. . . . *praiclariter* . . V. ad fragm. 2.

23. *Dico quei hunc dicare cupit.* . .

(Vid. Mer. 36. 614. Conf. Col. 329). Servatur hoc fragmentum a Varrone de L. L. V, p. 56: «*Dico* originem habet Graecam; quod Graeci δικάζω. Hinc Ennius: *dico qui hunc dicare cupit*». Fragmentum loci incerti est.

24. *Inlustris sublime iter* . . . *quadrupedantes,*
Flammam halitantes . . . . .

(Vid. Mer. 36. 614). Merula l. c. dicit, Scaligerum sibi scripsisse, fragmentum non esse ex Annalibus, neque vero cur eum non secutus sit causam attulit. Fragmentum ad tragoediam *Hectoris Lustra* pertinet; nam Diomedis l. I. de Iterativa verborum forma p. 336. haec sunt: «Ennius in Lustris: *Sublime iter quadrupedantes flammam halitantes*». Itaque recte iam Columna coniectura facta huiusce fragmenti locum tragoediam agnovit; habet enim hunc versum p. 229, ubi adnotat: «Hoc etiam loco depravata sunt Diomedis exemplaria, in quibus, ut diximus, legitur: *Ennius, illustris sublime iter*, cum legendum sit: *Ennius in Lustris*».

25. *torrus* . . . .

(Vid. Mer. 36. 614. Conf. Col. p. 331). Servius ad Virg. Aen. XII, 298: «*torrem* autem, erit nominativus *hic torris*, et ita nunc dicimus. Nam illud Ennii et Pacuvii penitus de usu recessit, ut *hic torrus*, *huius torri* dicamus». Fragmentum incerti loci est.

26. . . . . . *Clodiu' Tuscus.* (Vid. Mer. p. 36. 614). Fragmentum Columnae deest; neque eius auctoris est, cuius a Merula putatur. Nam apud Servium ad Aen. XII, 657. est: «Veteres *mussat* pro timet. Ennius *mussare* pro tacere posuit. Clodius Tuscus: mussare, est ex Graeco, comprimere oculos». Itaque verba *Clodius Tuscus* non Ennii sunt, sed afferuntur verba ipsius Clodii Tusci, quem rhetorem fuisse Seneca testatur. Servius igitur l. c. de Ennio tantum adnotat, verbo *mussare* pro *tacere* eum usum esse, quod idem Festus dicit s. v. *mussare.*

27. . . . . *septemtrio* . . .

(Vid. Mer. 36. 614). Festus p. 260: «unde ait Ennius: *superat temo stellas*», ex coniectura Ursini, Merula hinc vocem *septemtrio* sumpsit eamque in Annalibus collocavit. Sed errat vir doctus; neque enim de Ennii Annalibus sed de fabula Festi verba accipienda sunt. Si igitur quaeris, in quo Ennii carmine fragmentum illud locum habuerit, equidem cum Scaligero, quo-

cum in talibus rebus errare quam cum aliis vera sentire malo, aliisque statuendum puto, intellexisse Festum locum ex Ennii Iphigenia, in qua haec leguntur:

Quid nocti' videtur? in altisono
Coeli clupeo temo superat
Stellas, cogens sublime etiam
Atque etiam noctis iter.

Vid. Col. p. 213, et Scalig. ad Fest. l. c. p. 709 sq.

28. *Crebrisuro* . . . . .

(Vid. Mer. p. 36. 617. Columm. p. 326). Festus p. 45: «*crebrisuro* apud Ennium significat vallum crebris suris id est palis munitum». *Crēbrĭsūro* heroico versu comprehendi non potest, sed Ennii fabulis restituendum est.

29. . . . . *stipes* . . . . .

(Vid. Mer. 36. 617). Festus p. 144: «Stipes fustis terrae defixus». Id. p. 249: . . . us, Ennius . . . . stipites abiegno». Col. p. 329: . . . *ites abiegno*. Fragmentum *stipites abiegno* (leg. sine dubio *abiegnos*) Annalium esse propter metrum non potest.

30. . . . *inimiciter* . . . V. ad fr. 2.

31. *Consiluere* . . . .

(V. Mer. 36. 619). Festus p. 44: «*consiluere* Ennius pro conticuere posuit»; fragmentum incerti loci est, ut recte statuit Col. p. 329; qua ratione Merula id Annalibus adscribendum putaverit, nec ipse indicat nec equidem intelligo.

32. *Salsum humorem* . . . . . .

(Vid. Mer. p. 37. 620). Fragmentum Columnae deest. Servius ad Aen. II, 173: *salsus humor*, [bene addidit *salsus*, ut significaret laborem futurum, [vel certe] indicium commoti numinis fuisse dicitur:] ne forte alter in simulacro quilibet humor intelligeretur, [probo sane [displicet salsum sudor:] et] supervacue positum videtur. Hoc autem Ennius de Lamis dixit». Quanquam nonnulla in Servii loco glossam sapiunt, tamen inde facile consequitur, Ennium verbis *salsus humor aut salsus sudor* usum esse, sed quo loco, pro certo affirmari posse non puto.

33. *Idem campus habet textrinum navibu' longeis.*

(Vid. Mer. 37. 620). Fragmentum Columnae deest. Serv. ad Aen. XI, 326: «quidam *texamus* proprie dictum tradunt: quia loca, in quibus naves fiunt, Graece ναυπήγια, Latine textrina dicuntur. Ennius dicit: *Idem campus habet textrinum navibus longis*». Hoc igitur fragmentum esse Ennii constat, idque in Annales referendum propter argumentum et metrum admodum probabile est.

34. . . . . . *bona* . . . . .

(Vid. Mer. 37. 620). Merulae verba haec sunt: «Porphyrio ad illud Horatii I. Serm. Sat. 1. (61): *at bona pars hominum*, etc. notat *bo-*

nam, magnam, ut saepe apud Ennium et alios Veteres»; haec ille, de cuius sententia et lectione non agam pluribus; certe quidem, quum Cruquii Comment. in Horat. locum inspexerim, locum non reperi, in quo ita legeretur, ut Merula legi vult; sed ad Hor. l. c. haec exstant: «*at bona* maior pars». Neque tamen hac in re Merulae fidem in dubium voco, sed verbi *bona* ad Annales referendi ne minima quidem causa est.

35. . . . . *popolea frus.*

(Vid. Mer. 37. 621. Conf. Col. 328). Fragmentum est loci incerti; in fine Hexametri optime locum habet.

36. . . . *ignaviter* . . . V. ad fr. 2.

37. . . . . *metari.*

(Vid. Mer. 37. 621). Fragmentum Columnae deest. Festus p. 92. «*Metari* castra dicuntur, quod *metis* diriguntur». Id p. 170 s. v. *Metaplasticos*» — . . meta . . caa cariore . . . perventura . . quod . . dicare ait Ennius . .». Ex his verbis Ennii fragmentum erui nequit, quod idem Ios. Scaliger iudicavit. Sed in eo viro doctissimo assentiri non possum, quod dicit, Merulam putasse in hisce ruderibus latere fragmentum illud Ennii: *dico quei* (male Scal. *queis*) *hunc dicare cupit*; id enim Merula aliunde sumpsit.

38. . . . . *quo tam temere iti' citate*
Catomeraris . . . .

(V. Mer. 37. 621). Serv. ad Aen. IX, 329: « *Temere* passim, fortuito, negligenter, [vel humi, vel periculose. — Significat et subito, Ennius: *quo tam temere itis citati, catomerarii.* Significat sine causa, Ennius: *haud temere est, quod tu tristei cum corde gubernas*», quod alterum fragmentum videtur pertinere ad Aen. IX, 375; v. ad frgm. 33. Prius fragmentum est corruptissimum nec hactenus plane sanatum (v. Mer. l. l.), ita ut certiorem difficultatis expediendae rationem admodum desiderem. Equidem in re maxime dubia nihil certi affirmare audeo; sed utcunque se res habet, fragmenti locus haud dubie incertus est.

39. *O pietas animei.* . . . .

(Vid. Mer. 37. 621. Conf. Col. 291). Donatus in Ter. Eunuchum III, 5, p. 151. Lindenbr. ad verba: *O festus dies hominis? amice salve:* «sic dicitur etiam *scelus homo.* Ennius, *o pietas animi*». Exstat idem fragmentum apud Ciceron. Acad. prior. II, 27, ubi de somniis sermo est; Merula fragmentum non addita causa, quae est eius consuetudo, Annalibus adscripsit, et Planckius temere eum secutus est, quod *hexametrum oleat.* Mihi Columnae sententia probabilior videtur, qui fragmentum ex Ennii Iliona sumptum existimavit, quod apud Ciceronem l. c. statim sequitur non addito auctoris nomine: «quid! Iliona somno illo?

Mater te appello» —
nonne «cet., quanquam huic quoque opinationi non aliud probabilitatis indicium accedit, quare eam protulisse satis erit.

40. . . . . *solui*. . . (Vid. Mer. 37. 622).

Fragmentum Columnae deest. Varro de L. L. lib. VIII, p. 123: «ut contra quoniam est *soleo*, oportet dici, *solui*, ut Cato et Ennius scribunt, non solitus sum.» Fragmentum esse loci incerti vix est quod moneam.

41. . . . . . *teloque trabalim.*

(V. Mer. 38. 622). Fragmentum Columnae deest. Serv. ad Aen. XII, 294. ad Virg. verba: *teloque orantem multa trabali*, «Ennius: *teloque trabali»*; quo pertineat fragmentum incertum est.

42. *Vorsat mucronem.* . . .

(Vid. Mer. p. 38. 623). Servius ad Aen. IX, 747: «[*versat*. Librat, iactat, et est Ennianum: versat mucronem]». Fragmenti locus incertus.

43. *Prosperiter.* . . . . .

Vid. ad fr. 2.

44. *Festinumque diem festinant.* . .

(V. Mer. 38. 623). Servius ad Aen. IX, 401: «aut deest *adire*, aut deest *ad*, ut sit ad mortem properet; aut certe antique, *properet mortem*, ut Plautus in fragm. *properate prandium*. Ennius: *festivum festinant diem»*. De hac la-

cinia Servio non digna v. Burmann. ad Virgil. l. c. Fragmentum, ut est apud Servium in Annalibus locum habere non potest. Columna p. 308. *festinant diem*, quod exstat apud Servium ad Georg. IV, 171, fragmentis incertae tragoediae aut comoediae adscripsit; et recte, ut docet metrum illius *festivum* cet.; utroque enim loco Servium idem Ennii fragmentum intellexisse vix dubitari potest.

45. *Vocibu' concide. . fac siet obrutus.*

(Vid. Mer. 38. 624). Varro de Ling. Lat. VI, p. 81, 17 sq.: «apud Ennium: *vocibus concide: fac siet obrutus*»; Scaliger haec verba coniungenda existimavit. Displicet coniectura Ed. Spangenb. qui (ad Ennii Annal. VIII, 9) legendum statuit: *vocibu' concidat*, *faxim*, *ut obrutu' musset*; nam hic versus non hexameter est.

46. *Consiptum. . . .*

(Vid. Mer. 38. 624). Festus p. 47: «*consiptum* apud Ennium pro conseptum invenitur»; ad quem locum Dacerius: «Apud Ennium haec vox hodie non exstat. Nam quod ait Scaliger, Festum intelligere ex Medea Ennii (v. 30. ap. Planck.): *teneor consipta undique venor*[2]), id vero probare non possum. Ratio

2) Müller l. l. p. 64. Scaligeri sententiam satis probabilem iudicat.

est, quod vocem ipsam protulisset Festus, uti ea apud Ennium et non mutato genere; nam illa solet». Solet illa Festus, neque vero constanter eam legem observat. Attamen fragmentum incerti loci esse mihi probabilius videtur; Columna p. 205. id Medeae adscripsit.

47. . . . *Irarumque ecfunde quadrigas.*

(V. Mer. 38. 624). Servius ad Aen. XII, 429: «*irarum habenas*. Potestatem, facultatem — Nam Ennius dixit: *irarumque effunde quadrigas*». Interioris notae codd. aliquot: *effundit irarum quadrigas;* conf. Col. 307. Quae altera lectio arguere videtur, fragmentum esse sumptum e tragoedia aliqua aut comoedia; sed quum codicum auctoritate illa praevaleat, Merulae sententiae accedere non dubito.

48. *Puriter.* . . Vid. ad frgm. 2.

49. . . . . . *levesque secuntur in hasteis.*

(V. Mer. 38. 625). Serv. ad Aen. V, 37: «*horridus*, terribilis. In iaculis; [in hastis Ennius: *levesque sequuntur in hastis*]». Fragmentum haud dubie Annalibus adscribendum; Columnae deest.

50. *Ferro foidatei. . iacent. . .*

(V. Mer. 39. 625). Fragmentum Columnae deest. Exstat apud Serv. ad Aen. III, 241: «[*foedare*, cruentare. Ennius: ferro foedati iacent]». Propter metrum et argumentum videtur Annalibus adscribendum esse.

51. . . *Remorbescat.* . .

(Vid. Mer. 39. 625. Conf. Col. 230). Festus p. 230: «*remorbescat* Ennius posuisse videtur pro *in morbum recidat*», fragmentum est inc. loc.

52. *Quis te persuasit.* . . (V. Mer. 39. 625). Exstat ap. Serv. ad Aen. X, 10: «et Ennius: *quis te persuasit?*». Fragmentum est inc. loc.; Columnae deest.

53. . . . *repostus.* . . V. ad fr. 56.

54. . . . . *Oratores*
Doctiloquei. . . . . . .

(V. Mer. 39. 625; conf. Col. 328). Exstat Fragmentum ap. Varron. de Ling. L. VI, p. 73. Est incerti loci.

55. *Ista macella.* . . . . (V. Mer. 39. 625; conf. Col. 326). Caper de Orthogr. p. 2244: «Licet Memmius *ista macella* dicat, et Caesar luta»; quae lectio quum optimi codicis auctoritate munita sit, fragmentum illud Ennio abiudicandum erit.

56. *Porgite.* . . (V. Mer. 40. 626. Cf. Col. 329). Serv. ad. Aen. I, 25: «nam et *repostus* et *porgite* de Ennio transtulit.» Utrumque fragmentum est incerti loci.

57. . . *Pes premitur pede, et arma teruntur*
Armeis. . . . . . .

(V. Mer. 40. 628. Conf. Col. 30. 3). Hirtius de bello Hisp. (v. Mer. et Col. ll. cc.): «ut ait Ennius: *Pes pede premitur, armis teruntur*

arma». Placet mihi Merulae transpositio, quae ex eo genere est, quo recte critico uti licet; fragmentum sine dubio Annalibus adscribendum est; conf. Hirtii verba apud Mer. et Col. Miror sane, quomodo Columna animum inducere potuerit, ut fragmentum tragoediae aut comoediae esse putaverit.

THESES CONTROVERSAE

QUAS

UNA CUM DISSERTATIONE SUA

DE ENNIANORUM ANNALIUM FRAGMENTIS

A P. MERULA AUCTIS

AD CONSEQUENDOS AB ILLUSTRI IN LITTERARUM UNIVERSITATE RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINE SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

DIE XXII. IUN. MDCCCXXXIX.

DEFENDET

MATTHIAS HOCH.

OPPONENTIBUS

ED. BROCKHOFF, SEM. PHIL. REG. SOD. ORD.
I. GUIL. KOENIG, PHILOS. STUD.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

VITA.

Ego *Matthias Hoch* a. 1814. Eggersheimii prope Marcodurum natus parentes habui *Guilelmum Hoch* et *Guilelminam Rey*, quorum alterum quoque nuper morte ereptum mihi lugeo. Aetatis anno quintodecimo in sextam Gymnasii Marcodurani classem receptus omnibus iis rebus, quae in scholis doceri solent, magna cum voluptate operam dedi. Absolutis per sex annos et dimidium Gymnasii studiis a. 1834. maturitatis testimonio munitus almam hanc Academiam Rhenanam petii et in civium academicorum numerum a Rectore Magnifico *Ferdinando Naekio*, viro nobilissimo, nuper morte praematura nobis erepto adscriptus sum. Quum et theologiae et antiquis litteris operam navare iamdudum mecum statuissem, per duos annos et dimidium utrumque coniunxi; tum vero unis antiquitatis classicae studiis, quibus inde ab eo tempore, quo ea extremis labris gustaveram, mire delectabar, me dedi. Per quadriennium et quod excedit praelectionibus interfui virorum clarissimorum *Achterfeldtii, Brandisii, Braunii, Delbrueckii, Diezii, Duentzeri, Ennemoseri, Fichtii, Hilgersii, Kleii, Loebellii, Naekii, Plueckeri, Ritteri, A. G. a Schlegelii, Scholzii, Vogelsangii, Walteri, Welckeri, Windischmanni.* Quibus omnibus viris doctissimis, praeclarissimis, optime de me meritis summas ex intimo corde gratias ago.

THESES.

1. *Ennium non ipsum Annales suos in XVIII libros distribuisse demonstrari nequit.*
2. *In Ennii Ann. (ap. Mer.) l. VI init. legendum est: Q. Ennius L. Caecilium Dentrem fratremque eius cet.*
3. *Soph. Oed. R. v. 2. verbi ϑοάζειν solita significatio, quae est festinare, retinenda est.*
4. *Romanorum res gestas ante Naevium epicis carminibus celebratas fuisse perperam statuitur.*
5. *Ianis rumor est, inter Xenophontem et Platonem simultatem intercessisse.*
6. *Soph. Oed. R. versus 326 et 327 ed. Wund. Oedipo tribuendi sunt.*
7. *Tacit. Histor. I, 52. legendum est: ut Vitellius cet.*
8. *Antiquissimi Romani barbari ac plane rudes minime habendi sunt.*
9. *Qui philosophiam tractationem notionum esse dicunt, recte censent.*
10. *Xenophontis quae fertur Apologia Socratis spuria est.*